0.984

RESPUBLICA,
Siue Status Regni
POLONIÆ, LITUANIÆ, PRUSSIÆ, LIVONIÆ,
etc.

diuerſorum Autorum.



LUGDUNI BATAVORUM.
Ex Officina Elzeviriana.
ANNO CIↃIↃCXXVII.
Cum Privilegio.

STANISLAI KRZISTANOVVIC
Iuriſconſulti
STATVS
REGNI POLONIÆ
DESCRIPTIO.

Rex Poloniæ.

VT à Rege, tanquam ſuo capite, totum negotium initium capiat, Rex Poloniæ, provincias ditioni ſuæ ſubjectas, eaſque linguis fere omnes, vel dialectis ſaltem nonnullas differentes, habet octo: Poloniam Majorem, & Minorem: Magnum Ducatum Lituaniæ, Ducatus item Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſſoviæ, Samogitiæ, Pomeraniæ, Livoniæ. Ex his provinciis habent nonnullæ Duces, Regi & regno Poloniæ Feudatarios, ut ſunt in Pruſſia, Livonia & Pomerania.

Valachiæ quoque, ſive Moldaviæ inferioris, quæ eſt Ruſſiæ contermina, Princeps, Regum Poloniæ per multos annos fuit Feudatarius; cujus etiam homagii, Regibus & regno Poloniæ ſæpius præſtiti, extat in Statutis regni, forma juramenti. Invaleſcente poſtmodum Turcarum potentia, Principes illi, ſive, ut vocantur, Palatini, Turcarum quoque Imperium comiter colere, & tributis annuis, pacem redimere cœperunt; ita ta-

men, ut Poloniæ quoque regum majeſtatem & fidem agnoſcerent, ac mittendis etiam, ſtatis tẽporibus, honorariis, muneribus, nempe equis Thracicis generoſis: bobus in uſum culinæ: vinis Creticis: & id genus aliis: ſubjectionem fiduciarum profiterentur. Et fœdere æquo inter Polonos & Turcas in pacẽ mutuam ſancito, diſertis verbis caveretur, ne Provinciam illam cuiquam, Turcarum Princeps, unquam, præter Poloniæ regis voluntatem committeret: utque is, qui eam obtineret, regi quoque Poloniæ fidelis eſſet. Nuper autem, anno ſalutis humanæ MDXCV, cum Turcarum Princeps eam Provinciam, contra pacta, Tartaris inhabitandam conceſſiſſet, à Polonorum exercitu, opera Ioannis Zamoſcii Cancellarii Magni, & Generalis exercituum regni, Tartaris ejectis, deductus in illam eſt, unus ex indigenis illis, jure regni Poloniæ ac prærogativis nobilitatis ante donatus: iſque eam nunc regi Poloniæ juramento obſtrictus, pacate adminiſtrat.

Sunt & alii in regno, titulo Ducum & Marchionũ inſigniti: qui tamen cum reliquis regni Proceribus, Comitibus, Baronibus, ac Nobilibus, communi jure utuntur. Ordo etenim equeſtris, cum magnam ſibi apud ſuos Principes &

Rem-

Rempublicam paraſſet laudem,& merita,bellicis artibus, ac fortitudine militari, ad eam cum Titulatis æqualitatem pervenit,ut æquo jure,& ad capeſſendos honores, & ad liberam novi Regis electionem pertineat. Vnde tanta omnium & par libertas. Quamvis nobilium filii, qui vel ſtudio civilitatis, prudentiæque uſu rerum comparandæ, incitati,vel tenuitate fortunarum adacti, contra Occidentalium morem, non modo Magnatum,Epiſcoporum, Sacerdotumq; clientelas; verum etiam in parium, ac tenuiorum, inferiorumque nonnunquam, eorum præſertim qui Magiſtratus gerunt, aut aliquo ſunt in aula Regis numero, aut opibus, induſtria, eruditione,gratiave populari valent, miniſterium ſe tradunt; aut à parentibus ſuis traduntur. Nec pudendum aut dedecori affine eſt genus hoc miniſterii,ſed liberale & ſociabile: nec rara eſt in eo viciſſitudo, ita ut eum quis habeat in miniſterio, cujus parentibus ipſe ſerviret: honeſtaque habetur hæc juventutis Equeſtris educandæ ratio, æquabilitatem quandam,etiam in æqualibus fortunis continens. Hinc fit, ut multos ex humili loco ac tenui fortuna,non modo ad mediocres, verum etiam ad ſummos nonnunquam honores, ampliſſimaſque facultates, & opes,ipſo-

rum virtus, Heroumque beneficia, provehat.

Provinciarum Poloniæ diviſio.

PRovinciæ omnes dividuntur in Diœceſes & Palatinatus. Hi in Caſtellanatus, ſive diſtrictus. Qui item ſubdividuntur in Capitaneatus, ſive Præfecturas, eaſque duplices: cum Iuriſdictione videlicet, & ſine Iuriſdictione, quæ ſunt bona regia, ſive patrimonium Principis. In bona deinde hæreditaria Eccleſiæ Dominorum ac Nobilium.

Diœceſes.

DIœceſes latius ſe extendunt nonnullæ, quam ut uno Palatinatu comprehendantur. Cracovienſis namque (Archiepiſcopatus quondam) tres Palatinatus ſuo continet ambitu; Cracovienſem, Sendomirienſem, & Lublinenſem. Vilnenſis totius Magni Ducatus Lituaniæ finibus, licet admodum amplis, terminatur. Samogitia itidem (Regnum olim) unicum habet Epiſcopum. & ſic quædam aliæ.

Diœceſes in regno Poloniæ numerantur in univerſum ſedecim, duæ quidem Archiepiſcopales, reliquæ Epiſcopales, hoc ordine.

Archie-

Archiepiſcopales.

Gneſnenſis.

Leopolienſis.

Epiſcopales

Cracovienſis.

Cuiavienſis.

Vilnenſis.

Poſnanienſis.

Plocenſis.

Varmienſis.

Luceorienſis.

Præmiſlienſis.

Samogitiæ.

Culmenſis.

Chelmenſis.

Kiovienſis.

Camenecenſis.

Vendenſis.

Gneſnenſis Sedis Archiepiſcopus, eſt Legatus natus, regni Primas, ac primus Princeps. Hic non ſolum juriſdictionem habet in univerſum in regno Clerum, ac primum in ordine ſenatorio locum: verum etiam ſummam in conſiliis auctoritatem: & qui interregni tempore DD. Senatores regni, ad conſultandum de rebus ad Rempublicam pertinentibus convocat, legationes externas audit, diem & locum electioni novi Regis indicit: eundem electum nominat, & promulgat, ac poſtea in ſolemnibus

coronationis Comitiis, Cracoviæ celebrari ſolitis, diademate capiti impoſito inaugurat. Metropolitanæ ſedis Leopolienſis Archiepiſcopus ſecundum locum in Senatu obtinet. Eum ſequuntur ordine ſupra declarato Epiſcopi, qui in ordine ſenatorio omnes ſeculares præcedunt. Ea namque fuit regum Poloniæ pietas, ut ſtatim à receptione fidei Chriſtianæ, Catholicę, orthodoxæ, Romanæ, redacto regni ſui, ad imitationem aliarum, quæ fidem jam ſuſceperant, Provinciarum regimine omni, illud inſuper addidere, quod Eccleſiarum antiſtites, primum debeant perpetuo in Senatu Regni obtinere locum, eoſque, uti Eccleſias illorum curæ ſubjectas, atq; adeo univerſum Clerum, ampliſſimis donavere immunitatibus: quibus etiam nunc gaudent, maximo regni illius commodo, emolumento, adjumento, addo & ornamento.

Palatinatus.

PAlatinatus (ut à Diœceſibus ad eos tranſeamus) omnes certos habent limites & diſterminia. Proprie autem Palatinatus ſunt Ducatus, ſive ſpectes amplitudinem territorii cujuſque, ſive Nobilitatem in quolibet Palatinatu degentem. Ex ea namq;, cum ſit numeroſa, juſta ſemper haberi poteſt manus, ad ho-

ſtes

ſtes propulſandos, vel etiam laceſſendos bello. Proinde Palatinus quilibet, eſt Princeps creatus, primarius in ordine ſecularium Senator, & Dux exercitus ſui Palatinatus. Sed præter munus ſenatorium, non exercet ſuum militiæ officium, niſi tempore generalis ex univerſo regno expeditionis. Ad quam non recurritur niſi ingruente aliqua hoſtis potentiſſimi vi. Pacis tempore habet jus in ſuo Palatinatu, conventus Nobilitatis inſtituere: iiſq; & judiciis præſidere: pretia rebus venalibus, præter tempus comitiorum & belli, imponere: ponderum & menſurarum curam gerere. Iudæorum quoque Iudicia ad Palatinum pertinent. Sunt Palatini in toto regno Poloniæ Magnoq; Ducatu Lituaniæ XXXIV. Cum quibus nonnulli, quoad locum in Senatu, Caſtellani & unus Capitaneus, prærogativa quadam utuntur: & inter eos Caſtellanus Cracovienſis ex quodam ſingulari privilegio, omnes ſecularis ordinis Senatores præcedit. Hic autem ordo ſervatur.

Caſtellanus

Cracovienſis.

Palatinus

Cracovienſis.
Poſnanienſis.
Vilnenſis.
Sendomirienſis.

Caſtellanus

Vilnenſis.

Palatini

Caliſſienſis.

Trocenſis.

Siradienſis.

Caſtellanus

Trocenſis.

Palatinus

Lenciciæ.

Capitaneus

Samogitiæ.

Palatini

Breſtenſis.

Kiovienſis.

Inoulodiſlanienſis.

Ruſſiæ.

Volhiniæ.

Podoliæ.

Smolcenſis.

Lublinenſis.

Polocenſis.

Belzenſis.

Novogrodenſis.

Plocenſis.

Vitebscenſis.

Maſſoviæ.

Podlachiæ.

Ravenſis.

Breſcienſis.

Culmenſis.

Mſciſlavienſis.
Marieburgenſis.
Braſlavienſis.
Pomeraniæ.
Minſcenſis.
Vendenſis.
Derpatenſis.
Parnavienſis.

Caſtellanatus.

SEquuntur Caſtellanatus: Illi ſunt Diſtrictus, Territoria, ſive partes Palatinatus cujuſque; qui etiam certis circumſcripti ſunt limitibus; uti quoque bona Regia, à bonis Eccleſiæ, Dominorum ac Nobilium, hæreditariis ibidem exiſtentibus, diſcreta. Sunt autem in Palatinatu uno, aliquando quaterni, terni, bini minimum Caſtellanatus. Caſtellanus vero ad munus Senatorium, quo itidem fungitur, obtinet vices, in exercitu ſui Palatini, illiuſque loco præeſt ſui quiſque diſtrictus Nobilitati, hac eadem generali, ad bellum, expeditione. Nullam præterea Iuriſdictionem extra belli negotium in territorio, quamvis ſenatoria dignitate gaudeat, exercet. Caſtellani in regno ſunt numero LXXXIII, duplicis tamen ordinis: Quidam vocantur majores: quidam minores. Majores ſunt XXXI.

Poſna-

Poſnanienſis.
Sendomirienſis.
Caliſſienſis.
VVoiinicenſis.
Gneſnenſis.
Siradienſis.
Lenciciæ.
Samogitiæ.
Breſtenſis.
Kiovienſis.
Inoulodiſlavienſis.
Leopolienſis.
Volchiniæ.
Camenecenſis.
Smolſcenſis.
Lublinenſis.
Polocenſis.
Belzenſis.
Novogrodenſis.
Plocenſis.
Vitebscenſis.
Cernenſis.
Podlachiæ.
Ravenſis.
Breſcienſis.
Culmenſis.
Mſciſlavienſis.
Elbingenſis.
Braſlavienſis.
Gedanenſis.
Minſcenſis.

Hi propterea dicuntur majores, quia cum cæteris Senatoribus, tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus, ad omnia etiam ſecretiſſima conſilia admittuntur. Minores ſunt LII.

Sandecenſis.
Medirecenſis.
VViſlicenſis.
Biecenſis.
Rogoſnenſis.
Radomienſis.
Zavvichoſtenſis.
Lendenſis.
Sremenſis.
Zarnovienſis.
Malogoſtenſis.
VVielunenſis.
Premiſlienſis.
Halicienſis.
Sanocenſis.
Chelmenſis.
Dobrinenſis.
Polanecenſis.
Premetenſis.
Crivinenſis.
Czechovienſis.
Naclenſis.
Roſpierienſis.
Biechovienſis.
Bidgoſtienſis.
Breſinenſis.

Kruſvicenſis.
Oſvviecimenſis.
Camenesis.
Spicimirienſis.
Inovvlodenſis..
Kovalienſis.
Santocenſis.
Sochacovienſis.
VVarſovienſis.
Goſtinenſis.
VVisnenſis.
Raciaſenſis.
Sieprcenſis.
VVyſogrodenſis.
Ripinenſis.
Zakrocimenſis.
Cziechanovienſis.
Livenſis.
Slonſcenſis.
Lubacovienſis.
Conarienſis, terræ Siradienſis.
Conarienſis,terræ Lenciciæ.
Conarienſis, terræ Cuiaviæ.
VVendenſis.
Derpatenſis.
Pernavienſis.

Minores vero vocantur ideo, qui etiamſi cum cæteris ſupradictis Senatoribus regni, Senatorum privilegiis in reliquis gaudeant, & ſint vere Senatores; à ſecre-

ſecretioribus tamen conſiliis nonnunquam excluduntur.

Et hi ſunt triplicis ordinis Senatores regni, Epiſcopi cum duobus Archiepiſcopis: Palatini, & Caſtellani. Sequuntur officiales regni.

Officiales Regni.

HI ſunt duplicis ordinis: Quidam ſunt ordinis Senatorii, qui cum prædictis Senatoribus iiſdem prærogativis utuntur: Quidam ſunt extra ordinem Senatorium. Ordinis Senatorii ſunt x.

Marſchalcus regni ſupremus.
Marſchalcus ſupremus. M. Duc. Lituaniæ.
Cancellarius regni.
Cancellarius M.D. Lit.
Vicecancellarius regni.
Vicecancellarius M.D.Lit.
Theſaurarius regni.
Theſaurarius M. D. Lit.
Marſchalcus curiæ regni.
Marſchalcus curiæ M. D. Lit.

Marſchalcus eſt Magiſter Aulæ regiæ, & adminiſter conſilii publici: penes quem jus eſt, convocandi Senatum, juſſu Regis, vel Primatis: præſtandi ſilentium & audientiam: faciendi poteſtatem in Comitiis, dicendæ ſententiæ: Legatos externos adventantes excipiendi,

illiſque

illiſque de rebus neceſſariis providendi: ejiciendi è conſilio eos , qui ad id non pertinent: pronuntiandi decreta regia in cauſis infamiæ & ultimi ſupplicii, illaq; exequendi : promulgandi ad populum Senatuſconſulta: moderandi pompis publicis: Hoſpites Illuſtres ſuſcipiendi: compeſcendi motus inquietorum atque turbulentorum, non modo circa Senatum, & in publico, ſed etiam in privatis Regis cœnaculis & habitaculis: animadvertendi in delicta, quæ in loco & opido domicilii, ſive hoſpitii regii, vel comitiorum, admittuntur. Denique in Comitiis, & in comitatu regio, diverſoria diſtribuendi: & imponendi rebus venalibus pretia. Marſchalci etiam eſt, in aulicum Regis comitatum & adminiſtros menſæ regiæ, aliorumque munerum aulicorum, (profanos duntaxat intelligo) juriſdictio, cenſura & animadverſio, ne vel ſuum negligant officium, vel contra decorum aliquid committant. In publicis conventibus, & Regi, in publicum prodeunti, præfert erectum ſceptrum ligneum; ſeu baculum. Hæc eadem privilegia habent Marſchalci curiæ, in abſentia Supremorum.

Cancellarius, Vicecancellarius, tam regni, quam M.D.Lit., nominibus & loco diſtincti: poteſtate & munere exæquati.

Diplo-

Diplomatibus,edictis, mandatis, epiſtolis, & aliis Scripturis regiis conſcribendis,atque ſignandis, quæque ad eum mittuntur, accipiendis & legendis præſunt. Itaque in poteſtate ſua habent ſigna Regia. Cancellarius quidem majus; Vicecancellarius minus. Auctoritas eorum eouſque patet, ut multa inconſulto rege ſignare; quæ vero contra leges eſſe videntur, jubenti illi negare poſſint. Dant etiam reſponſa regio nomine; & quibus de rebus conſilium haberi debet, in ſenatu proponunt. Denique ſenatuſconſulta, regiaque & comitialia placita ac decreta literis mandant, & in publicum edunt. Sunt etiam cognitores privatarum querimoniarum, & provocationum,ab Vrbanis & Opidanis,Præfectorumque judiciis, ad regium tribunal devolutarum. Secretariis, ſcribis, ſacerdotibus,concionatoribus & cantoribus aulicis,cæremoniiſq; circa regem eccleſiaſticis, is præſertim qui eſt de ſacro ordine,moderatur. Lege enim, alterũ ex iis ſacri, alterũ profani ordinis eſſe oportet. Vnde conſuetudine longa introductum,ut Vicecancellarius,mortuo Cancellario,propter loci & ſententię dicendę prærogativã ſuccedat. Quare huic dignitati, viri doctrina inſignes, & in regni negotiis optime verſati, ſemper ſolent

deputari: qui prudenter, quid fieri, vel concedi poſſit, quid item non, Regem cum ſuæ Majeſtatis debita dignitate, informent. Nec debebit quiſquam exiſtimare, officium hoc ſimile eſſe ſcribarum muneri, quod antiquitus vile fuiſſe, docuit Reverendus admodum pater Nicolaus Serarius è Societate Ieſu SS. Theologiæ Doctor: ſuarum Moguntiacarum rerum lib. 1. cap. 29. ubi demonſtravit docte, illud Officii genus, in dignitatis honorem tranſiiſſe: refellens Carolum Sudermaniæ Principem: qui cum Cancellario Magno regni Poloniæ, Ioanni Zamoſcio ſcriberet, per ignominiam vocaverat illum ſcribam, his verbis: *Non es mihi* (ſunt verba Sudermanni) *par: ſi par eſſes, non armis te, ſed fuſte, depellerem, vinctum darem. Scriba es, cum ſcribis verbis certa.* Quibus quid reſponderit, non dignitate tantum, ſed doctrina etiam, reique militaris peritia Magnus Cancellarius, in gratiam Lectoris, libet ponere epiſtolam, quæ ſic habet. *Audiebam te hominem cerebroſum, & intemperantis lingua ac vitæ fuiſſe: ingenii in te aliquid eſſe ſperabam; ſed oſtendiſti unum illud eſſe, quod de te intimi tui familiares ſentiunt. Tantum te effreni impetu animi ferri, non judicio regi. Scripſiſti ad me ſchedam, qua mirari te dicis, me tibi offerre duellum,*

duellum, cum ſim tibi impar genere & dignitate; cum tu regio genere ſis: & ſi tibi par eſſem, te non aliis armis, quam fuſte decertaturum mecum. Sudermanica hoc prudentia eſt, cum ſuperbias regio genere, non militarium hominum, ſed baiulorum more, certamen baculorum proponens. Quaſi vero deſint in Polonia fuſtes, & valentes lictores, qui iis caſos, palis, majorus etiam quam baculus magnitudinis & proceritatis, ſuffigunt, eos præſertim, qui ſe perduellione fœdarunt. Et ſi non ſint in Polonia, per Dei gratiam, proditores: in Sudermania aula quærendi ſunt. Iam vero quod ſcribis de genere: eo ſum par omnibus Nobilibus, vel ex quibus ſunt reges creati: & ita honeſtiſsime natus, ut quivis Regum honeſtiſsime. Titulos Ducum non appetivi, nec oblatos accepi: contentus ſum Nobilitatis Poloniæ libertate. Tibi ſordet Nobilitas. Carolus Quintus auguſtiſsimæ memoriæ, & ſummi animi Imperator, cum aliquid affirmaret, id fide Nobilis viri ſe affirmare aiebat. In te hoc ſolum, quod reſpiciam, habeo, quod ex eadem familia cum Sereniſsimo Rege natus ſis; quod tu ſi curares, aliter cum eo ageres: cætera, tuo ingenio, tuiſque moribus digna, floccifacio. Dicis me ſcribam eſſe, & debere arma ſinere; ſum Cancellarius, quod munus non impedit Electores Impe-

rii, qui illud gerunt, quo minus priorem locum, quam alii Electores & Duces ac tanti Duces teneant. Sum certe Cancellarius in patria mea ampliſſimoq; regno, eo jure, eaque dignitate, qua ubivis vel maxima ſunt. Tu me fortaſſe Cancellarii Sudermaniæ modo metiebare, quem majores & excellentiores Nobiles Poloni, vel privati, habeant. Nec vero Cancellarius ſolum, ſed etiam Generalis exercituum Præfectus ſum. Arma gero pro patria: exercitusq; duco ſupra viginti aliquot annos. Nomen meum notum eſt orbi terrarum: actiones meæ honeſtiſſimæ: labores, ſumptus, pericula, pro Rep. ſuſcepta: Tuum nomen paucis notum fuiſſet, niſi alieni regni Dominatum invaſiſſes, & quidem patruus fratris filii: vel fortaſſis putas, mei loco, tyronem aliquem tibi cum exercitu objectum iri. Ego ſum ætate, magna ex parte, exacta & fragili. Remp. regni Poloniæ Magniq; D. Lit. Deus O. M. divino ſuo numine & legitimo imperio regit; firmam ac ſtabilem conſtituit: laudique & cultui ſui dicavit. Habet illa multos Senatores & Nobiles, magnitudine animi, uſu belli, ac prudentia præſtantiſſimos. Patriam tuam à me turbatam, quod ſcripſeris, dico te mentiri: & quidquid aliud in me contumelioſum ſcripſeris aut dixeris, prorſus te mentiri dico, dicamq; & ſcribam. Hæc

contra

contra conſuetudinem meam, honoris mei cauſa provocatus tuendi, & neceſsitate à te mihi impoſita, & quod tibi promiſiſſem, ita ut tu mecum ageres, me tibi reſponſurum. Iam deſino.

Theſaurarius, ipſo nomine indicat officium ſuum. Eſt enim promus & condus theſauri Regis: ſymbolorum ſeu inſignium Regni, quæ ſunt, corona, pomum, ſceptrum, & gladius: ſupellectilis, & redituum regiorum ſcripturarumque, & monumentorum publicorum, actor: & moderator quorumvis Quæſtorum, curatorum, atque diſpenſatorum Regis: & rationum reddendarum exactor: monetariæ officinæ Magiſter: ſtipendiorum, tam militarium, quam aulicorum ſolutor. Reddendæ rationi Regi obnoxius.

Atque hic addendum neceſſario, Officiales iſtos ordinis Senatorii, etſi videri loco eſſe poſtremo inter Senatores: auctoritatem tamen habere eos maximam: & quorum cuique ad primas in regno dignitates, ipſo jure patet aditus. Nam cum hi exſequantur quicquid in Senatu unquam concluſum fuerit, uti ſufficientiam quiſque ſuam, teſtatam facere; imo & diligentiam, in negotiis expediendis ſatagit: ita pro magis commendato & bene merito habetur.

Officiliales ordinis non Senatorii.

Officiales extra ordinem Senatorium dividuntur rurſus in tres claſſes: vel enim ſunt totius regni & M.D.Lit. vel ſunt aulæ Regiæ: vel Diſtrictuum. Totius regni ſeu Generales ſunt hi:

Exercituum regni Generalis.
Exercituum M.D.Lit.
Exercituum regni Campeſtris.
Exercituum M.D.Lit.Campeſtris.
Militiæ aulicæ Præfectus.
Secretarius major regni ſpiritualis.
Referendarius regni ſpiritualis.
Referendarius M.D.Lit.ſpiritualis.
Referendarius regni ſecularis.
Referendarius M.D.Lit.ſecularis.
Pocillatores utriuſque gentis duo.
Dapum inciſores duo.
Gladiferi etiam duo.
Theſaurarius curiæ regni.
Theſaurarius M.D.Lit.curiæ.
Theſaurarius Pruſſiæ.
Aſſeſſores judiciorum curiæ.
Notarius cauſarum curiæ.
Notarius Cancellariæ M.D.Lit.
Regentes Regni Cancellariæ.
Inſtigatores cauſarum fiſci.
Notarii campeſtres.
Excubiarum contra Tartaros præfectus.

Telo-

Teloniorum , fodinarum argenti, plumbi, ſalis, præfecti.
Pecuniæ cudendæ præfectus.&
Præfectus ſylvarum.
Circa hos Officiales hoc obſervandum. Vt enim ordinis ſenatorii officialibus,ad primas dignitates: ita hiſce ad ordinem ſenatorium major patet aditus: præcipue vero Secretario majori, referendariis. Cenſentur namque de Rege & Republica eſſe præ reliquis bene meriti:& qui ob uſum rerum , & facultates ampliores, dignitatem Senatoriam tueri commodius poſſunt.

Exercituum regni Generalis & M. D. Lit. eſt Dux & moderator belli ſecundum Regem, & vicarius Regis. Ducit exercitum: capit locum caſtris:acies inſtruit: dat ſignum pugnæ & receptus: commeatus & annonæ curam in bello gerit: precia rebus venalibus imponit, ponderibuſque & menſuris earum modum ſtatuit: in delinquentes animadvertit: & ut paucis reliqua comprehendam, in exercitu, & tempore belli indicti, uterque auctoritate regia pleni potenter utitur. Hoc etiam uſitatum in hac dignitate conferenda, quod ferme ſemper demandetur aliquibus ex ordine Senatorio, qui magis habentur apti. Ideo non eſt, quod miretur quiſpiam, tam

amplas dignitates, & quarum maximus in regno Poloniæ uſus, in ſenatu non cenſeri. Senatoribus namque conferuntur: vel etiam dignitas ſenatoria confertur una, ſi quis ex privatis tanto muneri exiſtimatur idoneus eſſe.

Campeſtris Dux exercituum tam regni quam M.D.Lit. eſt Vicarius Generalis Ducis à Rege datus. Excubiarum potiſſimum explorationumque curam gerit, mercenariis militibus, illo præſertim abſente, præeſt, totalemque juriſdictionem in exercitu eodem tempore exercet.

Militiæ Aulicæ Præfectus, eſt præſes illorum militum, qui ad cuſtodiam regiam, Præſente rege, in caſtris ordinantur, exercetque in eos juriſdictionem, ſecundum Regem, plenariam. Durat autem ejus poteſtas, quouſque Rex manet in caſtris.

Secretarius major regni, abſentium Cancellariæ præſidum vicem ſupplet in aula & comitatu Regis: nec tamen ut illi, geſtat ſignum regium, ſed quoties opus eſt, petito ab illo annulo ſignatorio, tam diplomata publica, quam Epiſtolas ipſo præſente ſignat. Habet hic ſecundum Cancellarium prærogativam ante omnes, capeſſendi honores Epiſcopales, qui vacaverint. Habet & locum

hono-

honoratiorem inter cæteros Officiales, tam aulæ, quam terrarum, ſeu diſtri-ctuum.

Referendarii utriuſque gentis & ordinis, ſunt ſupplicum libellorum Magiſtri, & querimoniis hominum audiendis,Cancellariæque, ut verbo legis utamur, referendis præſunt. Quin etiam in litibus urbanis diſceptandis, eidem Cancellariæ præſto ſunt: ejuſque permiſſu exponunt Regi cum conſilio,cauſas & controverſias litigantium:habentque locum in judiciis Regis,extra comitiorum tempus celebrari ſolitis, ſententiæ ferendæ.

Pocillatores, utriuſque gentis duo, ipſo nomine indicant officia ſua:quibus adjungere licet dapum inciſores.

Gladiferi in pompa publica Regi præferunt enſem.

Theſaurarius curię regni & M.D.Lit., ſupremi Theſaurarii regni abſentis vices gerit, adhiberturqué aliquando & à præſente,ad pleraque omnia, quæ ipſum concernunt.

Theſaurarius Pruſſiæ eſt, qui pecuniam omnem, & rationes à Præfectis & miniſtris bonorum Regis & proventuum,atque etiam tributorum publicorum exigit: & vel ipſe adminiſtrat, vel Theſaurario regni tradit. Aſſeſſores

judiciorum curiæ, ſunt plerique Officiales, qui in aula regis præſentes ſunt, utpote ſupplicum libellorum Magiſtri, ſive Referendarii, Vicecancellarius, & nonnulli ex Secretariis.

Notarii curiæ, tam regni, quam M. D. Lit. nomine declarant munus ſuum.

Regentes Cancellariæ ſunt illi, qui Notariis curiæ cum poteſtate præſunt.

Inſtigator cauſarum fiſci eſt, qui bona jure caduco ad Regem & fiſcum ejus devoluta, judicia à poſſidentibus repetit, & fiſco vendicat: ſive illa civium, ſive externorum, ſive nobilium, per confiſcationem Regi competentia fuerint.

Notarius Campeſtris, eſt mercenariorum militum conſcriptor: & ſtipendiorum ſolutor.

Præfectus excubiarum contra Tartaros, qui in finibus regni, verſus Scythas aſſiduas gerit excubias, ne inopinas excurſiones in regnum faciant: teneturque is ſemper tempeſtive Generalem exercituum præmonere, ut mature hoſti cum exercitu occurratur.

Præfecti teloniorum ſunt; qui tributa & vectigalia regni exigunt, eorumque rationes Regi competenti tempore reddunt.

Præfecti fodinarum argenti, plumbi, ſalis, curam gerunt horum metallorum,

jurif-

juriſdictionemque exercent in operarios : rationibus reddendis Regi obnoxii.

Præfecti pecuniæ cudendæ, ſunt potiſſimum Theſaurarii, ad quorum officium pertinet, ut proba & juſti valoris moneta in regno cudatur.

Præfecti ſylvarum ſunt, qui in ſylvis, in quibus Rex ſolet venationibus aliquando indulgere, prohibent, ne quivis promiſcue venetur.

Officiales Aulæ regis.

Camerarius ſupremus.
Pocillatores.
Inciſores Dapum.
Vexilliferi.
Stabuli Præfecti.
Culinæ Præfecti.
Curruum Præfecti.
Camerarii, vulgo lectiſtratores.
Pincerna.
Subdapifer.
Stabuli Vicepræfectus.
Venator primarius.
Aulici, quorum magnus numerus.
Secretarii.
Salariati.
Pueri Regii.
Cubicularii.

Notarius theſauri major.
Stipatores.
Doctores Medici.
Capellani.
Notarii theſauri.
Muſici.
Oſtiarii.
Satellites.
Hoſpitiorum diſtributor.
Curruum vicepræfectus.
Diſpenſator.
Vini diſtributor.
Tibicines.
Tympaniſtæ.
Equiſones.
Argenti cuſtodes.
Culinæ familia.
Artifices omnis generis.
Artifices & Stabuli famuli.
Artifices & famuli curruum.
Venatores & aucupes.
Apparitores.

Horum Officialium munera, ex ipſis nominibus nota eſſe poſſunt: ſunt tamen plerique, qui peculiare quid habent: quorum officia paucis adnotabo.

Camerarius ſupremus præeſt cubiculo, Lectiſtratoribus & cubiculariis regiis: advertitque ut omnia pro dignitate Regis adminiſtrentur.

Subdapifer curat, ordine fercula menſæ re-

ſæ regiæ adferri, præcedens cum ſceptro ſeu baculo dapiferum.

Aulici, quorum magnus eſt numerus, ſunt primarii ex Nobilibus conſtituti, equis ſtipendia merentes, præſidii honoriſque regii cauſa; quem equeſtrem ſeu curulem equeſtres fere comitantur. Qui equitatus numeroſus eſt, atque ſplendidus: huic Marſchalci moderantur, & delinquentes omnes puniunt. Sunt etiam quidam aulici, qui non habent neceſſe equos alere: hi prodeuntem in publicum Regem pedeſtres deducunt; Quanquam in ſolemnibus pompis non inuſitatum eſt, ut equites quoque equeſtrem Regem antecedant.

Secretarii, quamvis nullum peculiare certumque munus attributum habeant, ad nutum tamen Regis præſto ſunt, in obeundis ejus nomine legationibus, inſcriptionibus, & lectionibus publicarum ac regiarum ſcripturarum: in acciendis & deducendis ad Regem vel in ſenatum Illuſtribus hoſpitibus & Legatis Principum: in exquirendis & referendis ſententiis, ægrotorum, & à conſilio abſentium primariorum ſenatorum: in recognoſcendis pro Rege locis & factis, & cauſis controverſis, regiorum præſertim hominum & adminiſtrorum, inter ipſos, vel cum magiſtratibus ſuis:

& ſi

& ſi qua ſunt alia honeſta,& cum dignitate conjuncta miniſteria.

Salariati, ſunt Concionatores, ſervatores interioris cubiculi, & ſimiles, quibus certa ſtipendia, & certa merces numerari ſolet.

Pueri regii & Cubicularii præſto ſunt ad quævis domeſtica regis miniſteria. Cubiculariorum tamen peculiaris uſus eſt in acciendis in Senatum & ad Regem Conſiliariis, & deferendis quoquo verſus literis, mandatis edictiſque regiis. Quam ad rem opidatim, & vicatim, illis mandato regis equi ſubminiſtrantur.

Officiales Diſtrictuum.

OFficiales Diſtrictuum poſſunt commode dividi in duas claſſes, ut quidam ſint Officiales terreſtres: quidam Officiales caſtrenſes.

Terreſtres Officiales ſunt.

Succamerarius.
Vexillifer.
Iudex.
Dapifer.
Pocillator.
Venator.
Subjudex.
Pincerna.
Subdapifer.

Nota-

Notarius.
Gladifer.
Quæſtor.
Tribunus.

Succamerarius eſt, qui regendis finibus agrorum, ac bonorum terreſtrium, tam ad Regem, quam ad Nobilitatem, capitula, cives, pertinentium, præeſt. Qui juratus oportet ut ſit: habetque is ad id munus obeundum Vicarios, qui Camerarii vocantur: eoſque ſibi legit arbitratu ſuo, ex Equeſtri ordine ejuſdem territorii, & jurejurando adigit, mutatque quoties vult.

Iudex terreſtris, cauſis & controverſiis privatis, Nobilitatis, diſceptandis & judicandis cum Subjudice præſidet; qui eſt ejus ſocius, non vicarius, loco tamen inferior: quibus adjungitur Notarius ſeu Actuarius judicii, qui habet quoque in illis judiciis, jus dicendæ ſententiæ.

Quæſtor eſt exactor contributionum publicarum, in certo territorio, obnoxius rationibus reddendis.

Tribunus cuſtos eſt Arcis, in ſuo quiſque territorio, durante bello: ob eamque cauſam vacationem habet militiæ.

Cæterorum Officialium miniſteria ex nominibus nota ſunt.

Offi-

Officiales Caſtrenſes.

Capitanei cum juriſdictione.
Capitanei ſine juriſdictione.
Burggravii.
Vicecapitanei.
Iudices.
Notarii.

Capitanei cum juriſdictione ſunt præfecti arcium & civitatum regiarum, qui vocantur brachium regale. Iſti judicia exercent, querelarum quidem nomine appellata, utpote quæ fiunt in cauſis levioribus, ſingulis duabus ordinarie ſeptimanis. Caſtrenſia vero, ubi videlicet diſceptatur de cauſis gravioribus, ſingulis ſex ſeptimanis: niſi quid obſtet. Habent hi Vicecapitaneos, Iudices, Notarios: imo & familiam numeroſiorem, & peditatum, ad prohibendũ, ne cuipiam vis inferatur, vel inſolentiores contra leges patriæ delinquant impune. Habent itaque juriſdictionem coërcitionemque late patentem, non modo in agreſtes & opidanos: verum etiam in Equeſtris ordinis homines. Præterea omnium aliorum judicum, eccleſiaſticorum juxta, ac profanorum, ſententias executioni mandare poſſunt, ſi executores vel nolint, vel non proficiant. Gerunt etiam curam commodorum & redituum regis, qui ex re familiari ac penſionibus opidanorum

pro

proveniunt. Qui tamen reditus, quarta detracta, illis ob merita eximia donantur. Illis etiam inter reliquos officiales cujuſcunq; ordinis, major patet ad ordinem ſenatorium capeſſendum aditus.

Capitanei ſine juriſdictione ſunt qui vulgo tenutarii bonorum regalium nuncupantur. Hi nulla judicia exercent: inſolentias tamen leviores coërcendi jus quandoque habent.

Burggravii ſunt cuſtodes arcium, qui pacis juxta ac belli tempore, nocturnas, atque etiam, quando opus eſt, diurnas excubias, per ſe vel ſuos adminiſtros ſervant, Capitanei auctoritati ſubjecti.

Sequuntur nobiles, barones, comites, duces, poſſeſſiones ibidem habentes ſuas, & hæreditates: Tum & Eccleſiarum, ſive Cathedralium & Collegiatarum Capitulares; ſive Parochialium ac aliarum quarumvis Rectores: Vt omittam, civitates, opida, villas, arces: demum & mercatores, artifices, & id genus plebem.

Iam ex his nobilibus, baronibus, & reliquis aſſumuntur ad dignitates ſenatorias, ſolius arbitrio Regis. Interim vero opera, cujus vel quorum viſum fuerit, utitur Rex in legationibus, in commiſſionibus, in finibus regundis, in contributionum publicarum exactionibus, in militia, & id genus muniis publicis.

Sed & ipſimet de medio ſui, per electionem & liberis ſuffragiis, magis idoneos, quandoque ablegant cum poteſtate Nunciorum terreſtrium ad Comitia regni generalia: nonnunquam mittunt ad Regem de ſuis neceſſitatibus acturi: aliquando deputant Iudices ad Tribunal Regni. Quod cum ſit ultimæ inſtantiæ, provocatio ab eo non datur, niſi ex paritate ſententiarum cauſa aliqua remittatur ad Comitia, Regi & Senatui diſcutienda, & decidenda. Cum enim Rex cauſas & actiones Nobilium per appellationes ad judicium ſuum devolutas, expedire ob occupationes, quæ illi ſemper maximæ, non uſquequaque potuiſſet: conſultum illi eſſe volentes juſtitiæ & rebus ſuis; eam judiciorum formam adinvenerunt, deq; indulgentia Principis confirmationem ejuſdem obtinuerunt. Non tamen Rex jam vacat à jure dicundo: civitatum & opidorum omnium quæ jure utuntur Saxonico, cauſæ agitantur in curia. Cauſæ item Fiſci ad judicium ejus pertinent regium, & quædam aliæ. Criminalium vero inter Nobiles cauſarum, ipſe eſt unicus cum Senatu Iudex. In ejus namque manu fideli honores omnium poſiti & pœnæ.

Illud quoque libertatis habent præcipuum

puum, quod una cum DD. Senatoribus ad electionem novi Regis pertineant, non ſolum deficiente, poſt obitum Regis, prole maſcula, quæ ſuccedere debeat, (quis enim invitis illis regni ſibi habenas ſumeret?) verum etiam dum Princeps legitimus ſucceſſor, ſecundum leges regni, in Regem debet eligi. Hic etenim, licet ſuccedat ſemper, præcedit tamen facta in perſonam ipſius electio. Neque hoc imminuit quidquam de majeſtate tanti Regis, cum & duo præcipua orbis Chriſtiani capita, eadem ratione conſtituantur in imperio quiſque ſuo, per modum videlicet electionis: atque ii tamen idem jus in ſuos, quod & cuique Principi hæreditario itidem in proprios. Faciunt demum cum debito in reges ſuos cultu, obſervantia, & ſubjectionis teſtificatione, animis nimirum promptis, & volentibus: nec unquam committunt, quin hic eligatur, cui ipſo jure debeatur ſucceſſio. Non tamen eum modum negligunt, ne tantam libertatem ire perditum videantur: cum & regis eo majorem in populum benevolentiam, hac ſe ratione magis, promereri ac retinere exiſtimant: & neceſſitate quadam Principem ſuum obſtringere, quo filium, quem ſibi deſignatum velit ſucceſſorem, literis, rerum uſu,

cæteriſque virtutibus; inprimis vero pietate ſedulo curet imbuendum : ab his namque omnibus inſtructum eum eſſe oportet, qui tam amplis, longe lateque patentibus,tum in medio potentiſſimorum hoſtium ſitis Regnis , imperaturus unquam eſt, & habenas eorum moderaturus.

POLONIA
MARTINI CROMERI.
LIBER PRIOR.

De ſitu Poloniæ & gente Polona.

IN iis libris,quos triginta de origine & rebus geſtis Polonorum conſcripſimus, oſtendimus , Polonos gentem eſſe Slavicam & Sarmaticam : Quæ quodam tempore è Sarmatia progeſſa, tranſmiſſo Viſtula flumine , in iis Germaniæ locis, quæ prius Venedi & Vandali tenuerant, conſederit, fineſque domicilii & imperii ſui verſus Occaſum & Septentrionem longe lateque protulerit,ita , ut à Sarmaticis montibus, in Septentrionem quidem ſecundum utramque fere ejus fluminis ripam, in occaſum vero ſecundum dorſum Herciniæ ſylvæ, quo Boëmia clauditur, atque inde porro ſecundum Albim fluvium , ad ejus ipſius

ipſius, atque adeo uſque ad Viſurgis ſeu Veſeræ oſtia, & ſinum Venedicum ſive Baltheum, quicquid terrarum eſt, ejus gentis ditione teneretur. Ac univerſe quidem eos populos Slavos ſeu Slavinos ſeſe dixiſſe: A finitimis vero cùm Venedos ſeu Vinidas, tum Vandalos etiam, eorum, qui prius ea loca incoluerant, populorum nominibus appellatos eſſe: peculiariter vero, eos, qui verſus occaſum Germanis erant viciniores, partim Sorabos, partim Obotritos, Lutitios, ſive Luzitios, Vinulos, Ranos, Vilzos, Rugios, Vetalabos, Retarios, Licicavicos, Heveldos, Vuloinos etiam, quod nomen cum Polonorum nomine cognationem habet, dictos eſſe. Quos omnes Slavicæ nationis atque linguæ fuiſſe, & partim domeſticis ſatraparum ac ducum defectionibus & pactionibus, partim armis in finitimorum Saxonum & Germanorum ditionem nomenque poſtea transiiſſe, memoriæ proditum eſt. Polonorum autem nomen vernaculum an commune fuerit horum omnium, an peculiare unius cujuſdam populi: & vetuſtumne, an recentius, non liquet. Ante ſeptingentos quidem annos, nuſquam in annalibus ullis externis id invenio: Nec unum ejus etymon memoratur, quemadmodum alibi oſtendimus.

Nonnulli enim à Lecho ſeu Lacho duce, Polachos, quaſi poſteritatem Lachi, dictos eſſe: Alii vero à campeſtri planicie, quam incolunt, vel à venationibus, quibus impenſius delectantur, Polacos & Polanos, mutataque una litera Polonos, & ab iis regionem Poloniam appellari volunt. Ejus autem non iidem ſemper fines fuere. Nam Ruſſiæ permagnam partem cum Podolia ſubactam, & Pruſſiæ nonnullam & Poleſſenſem tractum barbaris Iazigibus ſive Iazuingis ademptum quodam tempore, Poloni ſuo adjecerunt imperio. Præter illa autem dudum memoratorum à me populorum occidentalium detrimenta, poſteriori tempore Sileſia fere omnis Polonis ſeſe ſubduxit, & Pomeraniæ Caſſubiæque reliquæ magna pars detracta eſt. Deceſſerat & Ruſſia Podoliæque pars magna, & Volynia, & Poleſſenſis tractus. Culmenſis quoque ac Dobrinum, & Maſovia fere. Sed hæ provinciæ his duobus non amplius ſeculis recuperatæ ſunt: Recuperata eſt etiam nonnulla pars Sileſiæ & Caſſubiæ, Pomeraniæque ea quæ nunc Pruſſia continetur. Rurſus tamen Lithuani, ſecuris fœdere & ſocietate ipſorum Polonis, Poleſſenſem tractum fere omnem, & Volyniam, & magnam partem finitimæ ei Ruſſiæ & Podoliæ,
avo-

avorum noſtrorum memoria, regibus vel faventibus, vel conniventibus, ad ſe revocarunt, quemadmodum ſuo loco expoſuimus. Sed ii populi nuper adeo, extremo regni Sigiſmundi Auguſti tempore, cum hoc opus nos ad finem perduxiſſemus, relictis Lithuanis, ultro in jus & ditionem Polonorum æquo fœdere prorſus venerunt. Quin & Lithuani ipſi, exemplum ſecuti, ſeſe cum Polonis, renovato & ampliato antiquo fœdere, conjunxere. Inſtituta tamen ſua, & magiſtratus, & juriſdictionem peculiarem retinuere. Cæterum nos quemadmodum illa ſuperius recenſita Poloniæ detrimenta in hac deſcriptione præterivimus, ita modo commemoratas acceſſiones cujuſpiam alius operi reſervamus, aliis jam diſtenti ſtudiis & occupationibus. Nec Livoniam attingimus, cujus à vicinis principibus miſere diſcerptæ, maxima pars ante pauculos annos in ditionem ejuſdem regis venit. Ne Pruſſiam quidem ducalem exactius deſcribemus. Licet enim ea juſtis armis repreſſa ac domita, ex fœdere majeſtatem regis Poloni à centum amplius annis comiter agnoſcat, neque linguam tamen, neque inſtituta & leges Polonorum accepit. Sed deletis pene priſcis Pruſſis, à Germanici ſanguinis hominibus habitatur & regi-

tur: ea parte excepta , quæ finitima eſt Maſovię : Quæ à Polonis colitur antiquitus, & Polonici fere juris olim fuit. Nec citerioris autem Pomeraniæ partem eam, in qua eſt oppidum Lemburgum, & arx Bythovia, complectemur, propterea, quod ea beneficio regum ſuperiorum in jus ducum ulterioris Pomeraniæ tranſiit. Quo nomine ſunt tamen & ipſi beneficiarii regis Poloni, jurantq; ritu ſolenni in verba ejus, quemadmodum & dux in Pruſſia, & ante eum noſtra memoria creatum, Magiſtri cum primoribus ordinis Crucigerorum, ſeu Teuthonicorum Sanctæ Mariæ militum, cum ejus provincię dominarentur, jurabant. Valachiam quoque prætermittemus: quæ fuit & ipſa intra hos ducentos annos in clientela regum Polonorum, ſed ſuis legibus, ſua lingua, ſuiſque ducibus utens, qui Voieuodæ ſeu Palatini dicuntur. Qui duo primum fuere, Tranſalpinenſis, & Moldavicus: quorum hic à noſtratibus peculiariter Valachiæ Palatinus dicitur: ille vero Multanicus. Verum extitit poſtea tertius Beſſarabicus ad pontum Euxinum, diviſo inter fratres principatu Moldavico. Ac Beſſarabia quidem jampridem ſubacta eſt à Turcis: Reliquarum autem duarum Palatini & ipſi jam dedititii ſunt ejuſdem gentis,

gentis, patrum, avorum, & proavorum noſtrorum memoria in verba regum Polonorum, nonnunquam Vngaricorum quoque, & ipſi jurare ſoliti. Nunc igitur Polonia, quæ quidem uno regno & jure continetur, quatenus à nobis deſcribitur, ſecundum longitudinem terræ habitabilis, è ſententia geographorum, & inprimis ſecundum delineationem amici mei Venceſlai Grodecii, à triceſimo octavo gradu ad quinquageſimum ſecundum vel tertium (incerti ſunt enim in illa ſolitudine Scythica fines ejus) ab occaſu æſtivo verſus ortum hibernum obliqua protenditur, amplius quam per ducenta milliaria Polonica: quorum unumquodque quatuor Italica in ſe continet. Tametſi Ruſſica & Podolica ſunt aliquanto longiora. Quin certis literarum monumentis doceri poteſt, Ociacoviam arcem ad oſtium Boriſthenis LIV gradu longitudinis ſitam, aliquando in ditione Polonorum regum fuiſſe. Latitudo autem Poloniæ, qua maxime Orientalis, & qua Occidentalis eſt, XXX. plus minus milliariorum eſt. Et Occidentalis quidem habet imam poli elevationem LII, ſummam LIV graduum & XL fere minutorũ. Orientalis vero ſummam quidem LI ferme, imam autem XLIX graduum. Pocucenſis tamen Ruſſię

tractus, à quadrageſimo octavo incipit. Cæterum in medio, qua latiſſime centum miliariis patet Polonia, & cum in meridiem paululum recurvatur, tum in Septentrionem magis ad mare Baltheum ſeu Venedicum, & ſecundum extremam oram Maſoviæ dorſo prominet, imam quidem poli elevationem habet in ora Scepuſii quadraginta novem graduum, ſummam vero in litore maris, & in Puſcenſi ora quinque ferme & quinquaginta: ita ut figura ejus intenſi arcus ſpeciem præ ſe ferat: cujus nervus paululum reductus ad meridiem & occaſum hybernum quadamtenus ſpectet, exterior vero curvatura in Septentrionem & ortum æſtivum obverſa ſit. Quod ſi quis novas acceſſiones Poleſſiæ, & ei confinis Ruſſiæ, Volyniæ, Podoliæ, & Livoniæ, Pruſſiamque ducalem, & Lithuaniam cum ſua Samogitia, & Ruſſia alba Moſchis finitima, (quæ omnia jam uno regno continentur) annumeret, multo longius & latius verſus orientem ſolum & Septentrionem ea patebit. Ad Nieprum enim ſitæ ſunt arces & oppida, Kiovia, Caniovia, & Circaſſi, ultra LIV gradum longitudinis. Pruſſiæ vero ducalis & Samogitiæ latus Septentrionale quinquageſimum ſextum, finitimæ autem Ruſſiæ albæ

LVII gradum latitudinis attingit. Porro continens his Livonia, quatenus cum duce novo Curonienſi ſive Curlandico (qui partem ejus nonnullam obtinet) regis Poloni Majeſtatem agnoſcit, LXI gradum excedit. Atque ita longitudo regni Polonici, à finibus Marchiæ Brandeburgenſis ad Nieprum ducta recta linea, non minus CCXL milliaria complectitur, ſi XV milliaria uni gradui reſpondent: Latitudo vero, ab ora Pocucenſi ad Pernaviam Livoniæ, ducenta plus minus. Cingitur autem Polonia, ſicut eam nunc circumſcribimus, ab occidente ſole incipientibus, Marchia Brandeburgenſi & Pomerania ulteriore: A Septentrione mari Venedico & Sarmatico: cujus adverſa litora tenent Sueones ſive Sueti. Inde Pruſſia ducali, eique continente Lithuania in ortum æſtivum fere vergente. Hinc porro campeſtribus Scytharum ſive Tartarorum ſolitudinibus prorſus Orientalibus, & flexa in Euronothum Bialogrodenſi Turcarum ora. Inde vero plane Auſtrali Valachia ſive Moldavia: Deinceps Vngaria, & in Africum & occaſum hybernum obverſa Sileſia Boëmicæ ditionis, ad Marchiam pertinente. Et à Sileſia quidem, & Marchia, & Pomerania ulteriore, & Lithuania, paluſtres denſæque

que ſylvæ eam fere dirimunt : Mare à Suetia : Ab Vngaria vero ſylveſtrium montium cacumina : itemque ab Occidentali parte Moldaviæ. Nam à reliqua Moldavia, quæ in ortum & ad Pontum vergit, Neſter fluvius eam & finitimam ei Podoliam dividit:idemque niſi fallor, limes eſt ejus ipſius Podoliæ cum Bialogrodenſi Turcarum ora : ut Nieper & Ponti Euxini ſinus cum Tartaris Ociacovienſibus, aut certe cum utriſque. incertus is eſt, ut diximus propter vaſtitatem & ſolitudinem. E qua ſolitudine penſitant tamen opiliones Turcici regi Polono vectigal paſcuorum nomine. Pruſſia vero ducalis ſic eſt implicata regiæ (hoc enim nomine à ducali ſejungenda eſt) difficulter ut queant diſtingui. A Maſovia ſylvæ eam dirimunt. Partes inſigniores Poloniæ ſunt, major & minor Polonia, Ruſſia, & Pruſſia regia, Podolia, Maſovia, & Cuiavia. Quæ & ipſæ deinde ſatrapiis, vel, ut vulgo loquuntur; palatinatibus ac territoriis fere diſtinctæ ſunt. Major Polonia duas ſatrapias, nimirum Poſnanienſem, & Caliſſienſem, complexa, Occidentalis eſt; Sileſiam, Marchiam Pomeraniamq; ulteriorem, meridionali occiduo & Arctuo latere attingens. Magis autem ad Occidentem vergit Poſnanienſis ſatrapia, Caliſſienſis con-

contra ad ortum & Septentrionem: qua parte ſunt Paluci, Craina, & Caſſubia; tractus terræ non contemnendi. Minor Polonia Orientalis eſt, Cracovienſi, Sendomirienſi, & quæ hujus pars quondam fuit, Lublinenſi ſatrapiis definita, hoc ipſo ordine, quo nunc ſunt enumeratę, verſus Aquilonem & ortum æſtivum ſitis. Quæ à Septentrione, Maſoviæ & Poleſſenſi tractui, qui dudũ Lithuanicæ ditionis erat; ab ortu, Ruſſiæ; à meridie vero, Vngariæ & Sileſiæ finitima eſt. Sunt autem ſatrapię Cracovienſis partes, tractus Sciricus, & Submontanus, uterque Scepuſio & Vngariæ finitimus: Ac Sciricius quidem ad occidentem vergens, Cracoviæ vicinior eſt: Submontanus vero Ruſſiæ & Sandomirienſi ſatrapiæ jungitur. Lublinenſis item ſatrapiæ pars eſt Poleſſe reliquum, quod à Lithuanis detractum non fuit, utrumque à ſylvis ita dictum verius, quam Podlaſſe dialecto Ruſſica, quaſi Poloniæ finitimum. Niſi quis forte Podlaſſe Polonis ſubjectum interpretari malit. Sileſiæ pars ea, quæ adhuc eſt Polonicæ ditionis, ſic implicata eſt Cracovienſi ſatrapiæ, ut ab ea magna ex parte ambiatur. Satrapiam ea nullam habet: Sed in Cracovienſi fere cenſetur: Habet autem tria territoria, Oſuencimenſe, Zatorienſe, & Severienſe.

Quo-

Quorum duo priora ſuperiori tempore ſuos habuerunt duces: Nunc præfecturæ regiæ ſunt. Severienſe eſt in ditione Epiſcopi Cracovienſis. Meridionale & Occidentale latus ejus ipſius Sileſiæ: cætera tenet Sileſia Boëmicæ ditionis, nempe Ceſſinenſis, & hujus pars quondam Pelcinen. Ratiborienſis item & Opolienſis principatus, ſive ducatus, ut vocant. Ab ortu vero hiberno Scepuſienſem tractum vix & modice ea attingit. Eſt autem Scepuſium non exiguus terræ tractus, olim cum Polonici juris eſſet, ad Vngaricum traductus: de quo alibi ſuis locis attigimus. Deinde vero nonnulla pars ejus cum tredecim oppidis & arce Liblio, ſive Lubovulia rurſus Polono regi certo pacto ab Vngaricis Regibus addicta eſt, atque etiam nunc ab ejus præfecto & ejus nomine adminiſtratur. Cracovienſi ſatrapiæ tractuique Sciricio verſus meridiem adjacens. Inter minorem vero & majorem Poloniam primarias totius Poloniæ partes, intermediæ ſunt Satrapiæ, Siradienſis, Lencicienſis, & Ravenſis, nullum commune nomen habentes. Quarum prima ad meridiem & Sileſiam, Lencicienſis & Ravenſis ad ſeptentrionem vergunt, Maſoviamque attingunt. Harum autem occidentalior eſt Lencicienſis. Nonnunquam

quam eæ tres una cum Cuiavia, imo & Maſovia, majori Poloniæ, ſicut Ruſſia & Podolia minori, accenſentur. Cuiavia vero ab ortu, Maſoviæ & Ravenſi ſatrapiæ; à meridie Leucienſi & Caliſſienſi jungitur. Continet autem in ſe duas ſatrapias, Breſtenſem, quæ magis ad ortum & meridiem vergit; atque Inonladiſlavienſem, ſive Iuninladiſlavienſem, quæ magis eſt occidua & ſeptentrionalis. Cujus non exigua pars eſt Dobrinum, ultra Viſtulam, ab oppido ſic dictum; latere orientali confine Maſoviæ; ſeptentrionali vero, Pruſſiæ. Maſovia quoque eodem latere Pruſſiam, Orientali Lithuaniam & Poleſſenſem tractum, & verſus ortum hibernum Poloniam minorem, ejuſque ſatrapiam Sendomirienſem, meridionali vero Ravenſem attingit: Duabus ſatrapiis diſtincta, Plocenſi nimirum, quæ Occidentalis eſt; & ea, quæ peculiariter Maſoviæ nomen retinet, propterea quod diutius ducum ſuorum, de Polonorum principum ſtirpe oriundorum, dominatu ſegregata, poſtrema omnium noſtra memoria defecta ducibus, ex pactis, & jure feudi, ut vocant, Poloniæ redintegrata eſt. Quæ quidem Orientalis eſt. Ravenſis quoque ſatrapia quondam pars Maſoviæ fuit, ſuoſque duces habuit, ſicut & Plocen-

cenſis,& pleræque omnes. Pruſſia regia præter meridionale latus, quod jam eſt expoſitum, ab occaſu ulteriorem Pomeraniam confinem habet. A Septentrione ſinu Baltheo ſeu Venedico, ſive Codano; ab ortu Pruſſia ducali cingitur. Tribus autem ſatrapiis diſtincta eſt, Culmenſi, Marieburgenſi, & Pomeranica. Quarum hæc Occidentalis eſt: Reliquæ duæ, Viſtula flumine ab illa dirempta, Orientales. Ex his autem Culmenſis ad meridiem ſpectat, Marieburgenſis vero ad Septentrionem. Varmia, & ipſa pars eſt Pruſſiæ regiæ, ad Aquilonem ſeu Euroaquilonem vergens, ducali fere undique cincta, & ab ea quodam tempore majorem in modum acciſa: Marieburgenſem quoque ſatrapiam contingit: Nec in ulla ſatrapia cenſetur, ſubjecta epiſcopo ſuo, & ſacro Eccleſiæ ejus collegio, Regis Poloni Majeſtatem agnoſcentibus. Michalovienſe autem territorium eſt in ſatrapia Culmenſi, Maſoviæ ac Dobrino finitimum: olim pars Maſoviæ. Ducalis Pruſſiæ (ut eam quoque, quo magis perſpicua ſit hæc Poloniæ deſcriptio, hic obiter attingamus) præter regiam Pruſſiam, limes eſt, à ſeptentrione mare Sarmaticum, cum Lacu Curonienſi, & ora Livoniæ: Ab ortu Samogitia, cæteraque Lithuania: A meridie

die vero Maſovia. Satrapiam ea nullam habet : præfecturas permultas. Olim Pruſſia priuſquam ſub jugum Chriſti miſſa eſt, alios fines habuit, & aliter diviſa fuit. Fuit autem ea decem regionibus ſive tractibus deſcripta : videlicet Pomeſanienſi, in quo eſt Marieburgum, Chriſtiburgum, Quizinum ſive Marieverderum : Pogeſanienſi, in quo eſt Elbinga & Hollandia : Erminio ſive Varmienſi, qui retinet etiam nunc in lingua Germanica vetus nomen, & Ermeland vocatur: Natangino, ubi eſt Balga, Brandemburgum, Cruciburgum : Sambienſi, in quo ſunt Mons regius ſive Kœnixberga & Lochſtete : Nadravenſi, quo Tapelacoca, Inſterburgum, & Vonſdorfia continentur : Salavenſi, in quo eſt Ragneta & Labia: Sudino, qui & ipſe nomen ſuum retinet, & ad Aquilonem ortumque æſtivum inter utrumque Habum & mare longe prominet : Barthено, quo Raſtenburgum, Bartheſteinum, & Reſla ſive Reſelia continentur : & Salindo, qui neſcio an is ſit, in quo Galindas populos ponit Ptolomæus. In his Sudinus tractus fuit primarius, opibus & viribus maximè pollens, ita ut ad ſex millia equitum, peditum etiam ingentem numerum conficeret. Cæterorum quilibet minimum ter mille equites, pe-

ditum verò decem millia conficere potuit, ſi vera ſunt ea, quæ nos in vetuſto quódam libro Germanica lingua ſcripto legimus. Cæterum Culmenſis tractus, & Pomerania, Poloniæ, non Pruſſiæ partes fuere. Sed nos cætera proſequamur. Ruſſia, quam rubram nonnulli vocant, latere occidentali minori Poloniæ jungitur. A ſeptentrione Ruſſiam albam & Volymiam habet: Ab auſtro Vngariam, ejuſque populum Ceculos, & nonnullam Moldaviæ partem attingit eo tractu terræ qui Pocuce appellatur. Nam cętera Moldavia ſive Valachia, qua Podoliæ quoque jungitur, magis eſt Orientalis Ruſſiæ. Continet Ruſſia duas ſatrapias, nempe Belſenſem, quæ ad Volymiam & Lithuaniam vergit, & eam, quæ peculiariter Ruſſica & Leopolienſis dicitur, auſtralem magis & orientalem: Niſi quod Chelmenſis tractus ejus non exiguus ad ſeptentrionem, etiam ultra Belſenſem prominet, & Poleſſiæ finitimus eſt. Reliquum autem orientale latus ejuſdem Ruſſiæ, ac totius Polonici regni, claudit Podolia, ab Aquilone & Euro albæ Ruſſiæ, à cætero ortu vaſtis campis Tartaricis atque Turcicis, ut diximus, à meridie vero Moldaviæ continens: Totaque una ſatrapia cenſetur, quam Podolicam vocant. Olim Podolia & Ruſſia, tam ea,
quæ

quæ nunc Poloniæ pars eſt, quam ea, quę eſt in ditione Lithuanorum & Moſchorum, ſuos habuit duces, quemadmodum luculentius oſtendimus in hiſtoria: Quorum ſtirps cum late propagata eſſet, partim ipſa ſeſe inteſtinis diſſidiis atque civilibus bellis confecit, partim à Polovuciis, qui Gothi fuiſſe videntur, ac Tartaris extirpata, partim Polonorum & Lithuanorum adjuncta eſt imperio, partim in nomen & jus de ſe ortorum Moſchorum tranſiit. Extant etiam nunc permulti, ducale nomen, ſed plerique nudum propemodum, retinentes: Inter Polonos vero nulla ducum ſupereſt memoria. Hi nunc ſunt Poloniæ, quatenus hic eam deſcripſimus, fines, hæ partes. Eſt autem regio tota fere plana & aprica, maxime qua ad occidentem ſolem & ſeptentrionem vergit, & quæ penitus orientalis eſt Podolia, ac vel nomine ipſo declivitatem præ ſe fert, vicinorum Moldaviæ, Ruſſiæ & Vngariæ montanorum intuitu. Minor Polonia itidem atque Ruſſia, quo propius accedit ad fines Vngariæ, hoc magis montana eſt & ſylveſtris. Quo longius autem inde recedit, eo lenius declivis eſt, magiſque culta & meliore gleba. Tametſi in meditullio quoque Sendomirienſis ſatrapia aliqua ex parte leniter montoſa, ſeu

verius clivoſa eſt. Pruſſia pleraque omnis, excepta Marieburgenſi ſatrapia, qua ad Habum & mare vergit, collibus molliter & ad fertilitatem amœnitatemque commode diſtincta eſt. Itemque pars nonnulla Cuiaviæ. Montes Sarmatici, qui Poloniam & Ruſſiam ab Vngaria dirimunt, ardui & ſylveſtres, non ignoti ſunt etiam veteribus Geographis & Hiſtoricis: & in his celebris eſt inprimis Carpathus, quem nos Crempacum, ni fallor, vocamus: Alii Bieſciadi, Modra, Turza, Vapienna, vernacula lingua appellati, externis ignoti ſunt. In meditullio vero minoris Poloniæ Lyſecius eſt, quaſi tu dicas calvum, ſive calvaſtrum, in quo monaſterium eſt, S. Crucis nomine lignoq; celebre: & Vavelus, arce Cracovienſi quam ſuo ipſius nomine nobilior, & is in quo ſitum eſt Cienſtochovienſe monaſterium, quem Clarum latine monachi, ni fallor, incolæ appellavere. Sylveſtris ſane fuit ſuperioribus temporibus pleraque omnis Polonia: Ex eone autem tempore, ex quo habitari cœpit, an poſtea peſtium bellorumque incommodis eo redacta, non liquet. Sed Sigiſmundi ſenioris, filiique ejus Sigiſmundi Auguſti, optimorum & mitiſſimorum, ſapientiumque regum ſtudio, diuturnam pacem nacta, nunc ubique dili-

diligenter excolitur, frugum leguminumque ferax, & pratis abundans. Nec tamen deeſt etiam nunc ſylvarum copia. Neq; enim eæ penitus exciduntur & extirpantur, partim propter paſcua & mellificia, partim propter ædificiorum materiam, & ligna mitigando frigori utilia ac neceſſaria, partim etiam propter ſaxoſi vel arenoſi ſoli ſterilitatem. Sunt autem ſylvæ pleræque piceæ, quernæ, faginæ, & abiegnæ: Ac piceæ quidem fere in planis & arenoſis locis, abiegnæ & faginæ in montanis, quernæ in utriſque, ſed uberiore gleba præditis. Multæ ſunt etiam in planis juxta ac montanis locis mixtim omni genere arborum refertæ, & paſcuis opimæ. Ex his abietes, tiliæ, piceæ, quercus, apum alveariis gravidæ fiunt, materiamque ædificiis navium ac domorum, malis, tabulis, & vaſis aptam, ut & taxi & terebinthi, ſuppeditãt: Quercus & fagi etiam paſtum uberem porcis feriſque præbent. Omnes autem focorum, & fornacum, furnorumque ignibus alimenta ſubminiſtrant. Tanta eſt enim vis frigoris in his regionibus interdum, ut radicitus areſcant arbores, & aqua ex æditiori loco effuſa, priuſquam terram contigerit, in glaciem concreſcat. Lacus quidem & paludes & flumina duobus tribuſve menſibus hibernis,

 non-

nonnunquam autem vel in quintum ac ſextum uſque glacie concreta, non modo peditibus, verumetiam equitibus & curribus ac plauſtris, quamvis oneratis, multis ſimul longo ſpatio pervia & ſecura præbent itinera. Equidem quodam tempore ultima die menſis Martii Viſtulam in Maſovia, per firmam adhuc glaciem, cum curru & quadrigis & aliquot equitum comitatu tranſivi. Hac etiam præterita hyeme in Pruſſia glacialis piſcatio in lacubus poſt initium Novembris cœpta, duravit per totum Martium: gelu autem per totum Aprilem. In tanta autem cæli intemperie pomaria tamen ſunt non infrequentia, & fructuoſa, ad Viſtulam præſertim, & in ſuburbanis Cracovienſibus, Sendomirienſibus, Varſavienſibus, Torunenſibus, Gdanenſibus: Elbingenſibus item, Fraumburgenſibus, Veliſcenſibus & Bochnenſibus, licet remotioribus à Viſtula, totoque tractu ſubmontano atque Sciricienſi. In quibus pirorum, malorum, prunorum, perſicorum, ceraſorum, & nucum bonitas & varietas certat cum Vngaricis & Italicis. Sunt & vites, quarum uvæ in minore Polonia eſui quidem non inſuaves ſunt, præſertim ſi æſtas & autumnus temperiem ſuam ſervent: ſed vinum inde expreſſum acerbius, ubi defecatum eſt.

eſt. Aliquanto ſuavius & copioſius exprimitur apud Croſnam Sileſiæ in finibus majoris Poloniæ. Apud Toruniam quoque in Pruſſia vineæ coli cœpere non infeliciter, ut audio. Neq; negat ſolum Polonicum caſtaneas, mora, cotonea, ficus, amygdalas, pepones, melopepones, herbas & flores omnis generis, & alias hortenſes Italiæ delitias, palatinariumq; lenocinia, ſi adhibeatur cultura diligentior, & à gelu cuſtodia. Nec metalla foſſiliaq; deſunt in montanis: plumbi quidem intermixto argento apud Ilcuſſum, Slacoviam, Chranoviam, & Novagoram oppida ſatrapiæ Cracovienſis, & in finibus Sileſiæ: argenti vivi apud Tuſtanum in Ruſſia: æris & lazurii, & plumbi item apud Chencinos: ferri plurimis in locis ſylveſtribus: nitri apud Viſliciam & alibi: ſalis apud Bochnam & Veliſcam in ſatrapia Cracovienſi, & apud Haliciam, Colomeiam, Solum, (quod quidem à ſale nomen habet,) & aliis compluribus in locis Ruſſiæ. Ac in Ruſſia quidem id ex aqua ex profundis puteis hauſta decoquitur, & partim in modum farinæ vel nivis minutum relinquitur, partim in fruſtula conformatur: In tractu vero Cracovienſi, partim lapidea duritie ſolidum inſtar ingentium ſaxorum & rupium in ſubterraneis ſpecubus, alte lateq;

excavatis, & villas, templa, oppidaque ſuperędificata ſuſtinentibus,ferro excinditur,comminutumque deinde, & mola tritum, ad uſus hominum accommodatur; partim & ipſum ex aqua injectis lapidei ſalis fruſtulis & quiſquiliis, quæ ſecantibus id abraduntur, decoquitur. Color lapidei in maſſa lividus eſt fere,ac luto reſperſus. Candidum,& in modum criſtalli pellucidum, rarius eſt. Tritum candet aliud alio magis. Coctum vero deſpumatis ſordibus candidiſſimum redditur,nivi non diſſimile. Fertur,in ſalinis Bochnenſibus reperiri quiddam pici concretæ ſimile,quod vocant carbunculum: Quod tritum & epotum ſolvat alvum. Ibidem exaudiuntur nonnunquam canum,gallorum, & aliorum animalium aſſimulatæ voces in profundiſſimis ſpecubus: idque mali & incommodi alicujus imminentis portentum vulgo habetur. In majore quoque Polonia apud Pincum ſalinæ ſunt, verum tenuiores. Sunt etiam in confinio Oſvencimenſis territorii & Scepuſii aquæ ſalſæ, unde ſalem coctum vidimus regi exhibitum. Salinæ tamen nullæ ſunt.Porro in deſertis Podoliæ, & Boriſtheni vicinis locis, lacus eſt, cujus aqua ſereno & ardente ſole, in ſolidum ſalem concreſcit, ita ut homines cum jumentis & curri-

curribus in eo, tanquam in glacie verſentur, ſectumque in fruſta arbitratu ſuo avehant. Quamprimum autem pluit, ſolvitur illa glacies non ſine periculo inſiſtentium. Apud Biezzum vero ſive Beciam oppidum in ſubmontana regione, vitriolum effodi, ac in viridem lapideamque duritiem decoqui, nuper cœpit: Coppervvaſſer, hoc eſt, æris aquam, Germani & noſtrates item, appellant. Antiquitus autem id conficitur ad æris metalla in Scepuſio. Marmor quoque & alabaſter quibuſdam in locis effodiuntur. Eſt in majore Polonia prope Sremum oppidum collis, ubi (res incredibilis; ſed à multis confirmatur) ollæ, amphoræ, cacabi, & aliarum figurarum vaſa fictilia ſponte naſcuntur, & ſub terra offodiuntur mollia, in aërem autem prolata dureſcunt. Vidi unum atque alterum, quod inde erutum eſſe dicebatur, rude, nec ſatis bene conformatum. Porro in mari Sarmatico Pruſſiam alluente colligitur ſuccinum, ſive electrum; (ambram etiam externi vocant.) Quod fluctibus appulſum ad littora, homines nudi obviam euntes parvis retibus excipiunt & extrahunt, molle primum, ſed mox in aëre dureſcit, tornoque ac ſcalpro varie conformatur. In lacubus quoque nonnullis à mari remo-

tioribus id reperitur: ut in Piſſia Epiſcopæ Varmienſis, modicum tamen. Quin & in editioribus locis foſſa altius humo fertur inveniri. Spumane maris concreta id ſit, an ſuccus & guma arboris, an quippiam aliud, non eſt hujus loci diſputare. Eſt ſane leve & pellucidum: Eſtque fulvum & candidum: Candido majus pretium. Ferunt, ſi incendatur, odore ejus venenata necari. Viſuntur in nonnullis fruſtulis formicę, muſcæ, culices & alia inſecta, non arte, ſed vel opificio naturæ, vel fortuitis caſibus incluſa. Aquis irrigua eſt pleraque omnis Polonia: ſed fluvios navigabiles non multos habet: Præcipui ſunt Viſtula, Donaiecius, Sanus; Vieper, quaſi quis dicat porcum; Varta, Noteſſius, Neſter, Prutus, Bugus, Bohus ſive Bogus, Pripetius, Narva, Drevancia. Nam Odra, quem veteribus Gutalum ſeu Viadum eſſe volunt, in confinio Moraviæ & Sileſiæ exiſtens, & per hanc ſecundum Poloniæ limitem, perque Marchiam ae Pomeraniam ulteriorem permeans, infra Scecinum in Venedicum ſinum decurrit. Olim intra fines Poloniæ tum oriebatur, tum decurrebat. Nieper Ruſſiam albam, eique confinem Podoliam alluens, longo tractu in pontum Euxinum apud Ociacoviam munitionem Tartaricam ſeſe exonerat,

ortus

ortus in Moſchovia. Boriſthenes is eſt veteribus Græcis & Latinis, omnium ſcriptorum conſenſu, præter Bernardum Vapovium. Qui ſimilitudine nominis, ut credibile eſt, adductus, Boriſthenem vult eſſe Berezinam: qui in Nieprum ab æſtivo occaſu influit, minor eo & ignobilior. Viſtula in Ceſſinenſi ora è Sarmaticis montibus exoriens, verſus æſtivum occaſum & ſeptentrionem primum, mox verſus orientem aliquantiſper, deinde à Sendomiria verſus ſeptentrionem rurſus per minorem Poloniam decurrit. A Varſavia vero rurſus ad occaſum æquinoctialem, & mox æſtivum flexus, Maſoviam interluit, Dobrinumque à reliqua Cuiavia dirimit. Vbi autem Pruſſiæ fines attigit, in ſeptentrionem reflexus, deinceps mediam eam dividit. Supra Marieburgum autem in duos alveos præaltis aggeribus objectis ſectus, inſulam inſignem & fertilem, quam Zulavam majorem vocant noſtri, efficit, & nomen amittit. Ac ſiniſter quidem alveus, qui major eſt, Lenivuca, dexter vero Nogatus vocatur: Quorum hic in Habum lacum tribus oſtiis, ille vero duobus partim in eundem Habum, partim in mare infra Gdanum ſeſe exonerat, longitudinis quidem gradu 41, latitudinis vero 54. Fontes autem Viſtulæ ſunt

longitudinis itidem 41 gradu, latitudinis 49, minuto 20. Fluens autem amplius centum milliarium Polonicorum ſpatio Viſtula, Solam, Premſam, Scavam, Donaiecium, Viſlocam Ropa auctam, Nidam, Sanum, Viepram, Pilciam receptis Drevicia & Volboria, Bſuram, Narvam cum Bugo, Drevanciam, Berdam, Oſſam, & Motlaviam minora flumina excipit: & Oſuencimum, Zatoriam, Cracoviam, Cazimiriam, Sendomiriam, Varſaviam, Ploſcum, Vladiſlaviam, Toruniam, Culmam, Grudentum, Quizinum, Nouum, Gnevum ſive Mevam, Marieburgum, Derſaviam, & Gdanum urbes & oppida non ignobilia præterfluit. Arces item Lipoveciam, Nepolomice, Corcinum, Zavichoſtum, Cervenſcum, Monaſterium, Zacrocimum, Viſſegradum, Sochacioviam, Dobrinum, Bobrovunicos, Racianzum, Sluzoviam, Dyboviam, Nieſſoviam, Starigradum, ſive Althauſum, & Suece, & adhærentes eis vicos alluit. Donaiecius (quod nomen parvum Danubium ſignificat) ex eiſdem Sarmaticis jugis non longe à Viſtulæ fontibus paulo orientalior exortus, per Scepuſium & Submontanum tractum decurrit, Sorſtenumque & Muſſinam, & Melſtinum arces & Sandeciam oppidum, ubi Popruto auge-

tur,

tur, præterlapſus, non longe ab Opato-
vecio vico Viſtulæ miſcetur. Sanus à Bie-
ſciadis jugis, longitudinis gr. 44, latitu-
dinis 48, minuto 30, naſcens, & verſus
ſeptentrionem & occaſum æſtivum
profluens, poſteaquam Lieſcum, Sobe-
num, Sanacum, Brozoviam, Præmi-
ſliam, Radimnum, Iaroſlaviam, Lezei-
ſcum, Ruſſiæ arces & oppida prætergreſ-
ſus eſt, Viſlocumque alium à Viſloca, &
Viarum minores fluvios in ſe recepit, a-
pud Sendomiriam oppidum long. gr. 44
fere, lat. 50, minuto 30, Viſtulam & ipſe
ſubit. Varta apud Cromoloviam ſatra-
piæ Cracovienſis oppidum ortus, longi-
tudinis gradu 40, min. 50, latitudinis
gradu 50, min. 30, per Siradienſem ſatra-
piam & majorem Poloniam verſus oc-
caſum æſtivum fere decurrit, Olſtinum,
Cenſtochoviam, Meſtoviam, Siradiam,
Vartam, Vneoviam, Colum, Cominum,
Pyſdros, Sremum, Curnicum, Poſna-
niam urbem, Obornicos, Stobniciam,
VVroncos, Siracoviam, Mezichodum
oppida & vicos cum adjunctis arcibus, &
Landiſbergam veteris Marchiæ præter-
fluens, Nyrumq;, Vureſmiam, Velinam,
Proſniam, Obram, & Noteſſium mino-
res fluvios excipiens: Et apud Coſtrinum
oppidum, in Odram è Sileſia occurren-
tem influit, long. grad. 37, lat. 52, min. 50.
Noteſ-

Noteſſius vero apud Cruſuiciam Cuiaviæ oppidum è Goblo lacu exiſtens, & ipſe per Majorem Poloniam verſus occaſum hybernum means, Pacoſſum ambit. Labiſſinum, Naclum, Pilam, Vſce, Drenumque arces & oppida præterlabitur. Neſter, quem Tyram veteribus vocari volunt, in Ruſſia è Sarmaticis jugis non longe à Tybiſci & Sani fontibus ortus, initio verſus Aquilonem profluit, deinde ad ortum converſus, Biſtriciam, Lipam, Seretum Ruſſicum, alium à Valachico, Sbrucium, Smotricium, Vſciam, & Moraquam ignobiliora flumina abſorbet, & Zidacioviam, Haliciam, Ceſſibieſos, Cervonum, Chocimum, Valachiæ, & alia quædam oppida præterlapſus, infra Pocuce Podoliam à Valachia longo ſpatio dividit: Ad extremum deflexo nonnihil in meridiem alveo, ſupra Bialogrodum urbem Scythicam, ſive Turcicam, quæ & Moncaſtrum dicitur, in Pontum Euxinum ſive continentem ei Obidovum lacum influit, long.gr.53, lat. 47, min.30. Bugus in Ruſſia & ipſe non longe ab Oleſco oppido, long.gr.46, lat. 49, exoriens, & primum in occaſum, mox in ſeptentrionem ſecundum occidentale latus Volyniæ tendens, poſtremo ad occaſum reflexus, ubi Poleſſenſem tractum, receptis Volodaroa, Belſo, Rata, Suinia,
Mucha-

Muchavecio fluviis,emenſus eſt, & Buſcum,Grodecum,Grodlum,Lubomliam Ruſſica, Breſteq;, Ianoviam, Drochicinum, Poleſienſia,& Cameneciā Maſoviticam oppida prætergreſſus eſt,apud Serocecium vicum,long.gr.43,lat.52, min. 40,Narvæ à ſeptentrione & ortu æſtivo è Lithuania profluenti ægre miſcetur,nigrorem ſuum retinens aliquamdiu. Nec multo inferius victorNarvaapudNouidvuorum oppidumViſtulam ſubit.Eſt autem peculiaris Narvæ natura, ſicut & Dlugoſſus annotavit,quod non fert venenoſa animalia,uſq; adeo,ut ſerpentes, qui navibus Bugo delatis adhæſerint, edito ſibilo refugiant, cum primum ad aquam ejus fluminis attigerint.Pripetius in Chelmenſi tractu è palude non longe à Lubomlia exiſtens, long.gr.47, lat.50, præter occiduum & ſeptentrionale latus Volymiæ,diverſus à Bugo, per Ruſſiam albam longo ſpatio verſus orientem ſolem progreditur, & cum nonnullis aliis, tum Styro,Turo,Slucio, Suiſlocio grandibus fluviis auctus, Nieprum ſive Boriſthenem ſupra Kioviam ſubit, long. gr. 51,lat.53 fere. Bohus autem,ſive Bogus,è palude ortus in finibus Podoliæ, long. gr.49,lat.49,min.30,itidem per Ruſſiam albam meridionalior longo terrarum tractu ad ortum tendit : ad extremum de-

deflexo in meridiem curſu, & ipſe in Boriſthenem non longe ab oſtiis ejus, long.grad.55,lat.48, ſeſe exonerat. Prutus è jugo montium Sarmaticorum, longitud.gr.46,min. 50,lat.47, min.30,verſus aquilonem in Pocuce delapſus,&Colomeiam Sniatinumque præterlapſus, inde per Valachiam ſive Moldaviam primum orientalis, deinde auſtralis verſus Bulgariam in Danubium decurrit,long. gr.52,lat.45 fere. In Pruſſia vero Alla & Paſſària, non longis inter ſe ſpatiis orti, verſus ſeptentrionem fluunt: Et Paſſària quidem infra Olſtinecium, ſive Hochſteinum, (ut vocant Germani,) ducale oppidum exiſtens, Morango, Libſtadia, Brunsberga, & Helgebeila oppidis præteritis, Habum lacum ſubit,long.gradu 42,min.30,latit.54 : Alla ſive Alna vero ſupra Alleſteinum S.Collegii Varmienſis arcem & oppidum, cui etiam nomen dedit, oriens, præteritis Vartemberga, Guteſtadia, Heilſberga, ſive Alleſberga, Varmienſibus, & Bartheſteino, Sipelbeino, Fridelandia, Allemburgo, ducalibus oppidis, apud Velam Prægolæ, ab ortu hiberno per ducalem Pruſſiam decurrenti, miſcetur, & cum eo infra Kœnixbergam, hoc eſt, Regium montem urbem,long.gr.43,lat.54,Habo lacu recipitur. Drevantia vero non ita longo ab

go ab iis intervallo oriens, diverſoque meatu verſus Auſtrum fluens, ſupra Toruniam à Viſtula excipitur. Atque hæc de fluminibus nunc ſufficiant. Lacubus, piſcoſis inprimis, abundat Pruſſia. In his nominatiſſimus eſt Habus, cujus modo mentionem fecimus: quem etiam recens mare vulgo vocant: Ad quindecim milliaria in longitudinem, inter Gdanum & Regium montem urbes, ſecundum mare patens, & ab eo anguſta inſula, quæ Neringa appellatur, disiunctus: In latitudinem vero duo milliaria plus minus. Ac Elbingam quidem urbem non longo ſpacio adſpicit, eique portum efficit, ejuſdem nominis flumine navigabili influente. Tolkemitam vero, Fraumbergam, (cui baſilica Varmienſis in modum arcis munita impendet,) Balgam, Brandeburgum, & Fiſhauſum oppida & arces alluit, receptiſque, ut dixi, Viſtula & Prægola, & aliis minoribus fluminibus, apud Locſtete arcem mari miſcetur. Hoc aliquanto amplior lacus alter eſt eodem nomine, cognomento Curonienſis, in Pruſſia ducali, in quo ſunt oſtia Nemenis fluvii (Memelam vocant Germani) per Lithuaniam defluentis. Inter hos duos Habos & mare peninſula eſt, quæ & ipſa Neringa, ſed Curonienſis, appellatur, arces &

oppida continens. Secundum hos eſt Druſnus ſive Drauſenus lacus in Marieburgenſi ſatrapia, unde Elbinga flumen profluit: Partecinus Lubnus, Reuſſina, & Viecininus in Culmenſi: In Pomeranico vero Stuorzonagaci, quaſi quis ſtratum vel factum aggerem dicat, inter Choiniciam, Slochoviam, ac Tucholiam oppida, ſeptem milliarium ſpatio longus, quinque latus: Vnde berda fluvius profluens, per Crempſcum, Lubovum, & Charſicovum minores lacus in Viſtulam influit infra Bydgoſtiam. Nec ignobiliores his ſunt Vſdicce, Lubſcus, Oſſiecinus in eodem tractu: Alii minores. Sunt & in Varmienſi ditione non pauci. Præcipui vero Dadaius, Zainus, Vadangus, Piſſia, Blanke, quaſi albus, Sinſer, Lingenaus, Lemanglus, Ellingus, Plaucicus, Vulpingus, Clebergus, Coſnicus, Obelus, Marangus, & alii complures. Sunt & in ducali Pruſſia multi & grandes, quos omittimus. Habet & major Polonia & Cuiavia nonnullos piſcoſoſque. In quibus Goplus princeps eſt, quinque milliaria patens in longum, ſemis in latum: Secundum hunc ſunt Blendnus, Povizus, Sleſinus, Sanus, Piednicia, Niezamyſlus, Vonieſca, Lomunice, Pcievus, Lubſtovus, Dravuſcus, Noblim, Tulangus,

gus, Ielen, & Lednicia, in cujus inſula Gneſnenſis baſilica initio condita fuiſſe, indeque propter difficilem aditum, in eum, quo nunc eſt, locum tranſlata eſſe putatur, quemadmodum Dlugoſſus memorat. In Cuiavia verò Tur, Lanſcus, Bielſcus, Lubotinus, Orlie, Berdovus, Borimovus, Crevianta: Et in Dobrinenſi tractu Gorznus, Mocovus & Scampſcus, minores aliquanto ſuperioribus. Pro lacubus minor Polonia, Sileſia, Ruſſia, ac Podolia piſcinas habent arte manuque factas permultas ac grandes. Non carent tamen & lacubus, Lublinẽſis maxime & Chelmenſis tractus. E quibus Biale, hoc eſt, Albus, per antiphraſim ſic dictus, prætereundus non eſt: Cujus aqua Aprili & Majo menſibus fuſcos reddit lavantes: Piſces autem pinguiſſimos profert, qui braſmi, à noſtratibus autem cleſcii vocantur. Eſt & in Belſenſi lacus Crinice, non amplus, verum profundus. De quo illud memorabile annotavit idem Dlugoſſus, quod certis temporibus altero vel tertio quoque anno cum mugitu fluctus attollens exhauritur prope ad fundum uſque, aquis vicini montis cavernas ſubeuntibus. Atque ibi tunc facile prehenduntur piſces in aqua vadabili. Poſt dies aliquot ea refluit. In cæteris lacubus, atque etiam in

majoribus piſcinis & fluminibus hyberno tempore commodiores fere ſunt piſcationes, quam æſtate, pertuſa certis intervallis glacie, retique per majus foramen in aquam immiſſo: quod longis funibus ad perticas alligatis hominum equorumve opera longo ſpacio in diverſum tractum, coëuntibus rurſus piſcatoribus, alio foramine piſcibus refertum extrahitur. Sunt autem eadem genera piſcium in lacubus & piſcinis. Vtrobique enim ſunt lupi, ſive lucei, praſini, percæ, rhombi, (ſi modo ſic appellandi ſunt ii, quos nos caraſſios dicimus,) ſumi, ſendacii, cirtæ, ſive certæ, à delitiis, ni fallor, apud Germanos nomen ſortitæ, tineæ, anguillæ, ruboculi, carpones, quos reginas vocant Itali, Latini Cyprinos, quemadmodum vult Ioannes Dubravius Olomucenſis Epiſcopus. Tametſi minus frequentes hi ſunt in lacubus, quam in piſcinis: In quas parvuli tanquam in vivaria ſtudioſe includuntur. Ferunt etiam lacus nonnulli eos, quos ſulvizas & ſielavas noſtrates, Germani marenas vocant. Piſcis eſt dulcis & ſapidus, aleci ſimilis. Fluviatiles vero ſunt cum iidem fere omnes, tum delicati inprimis, truta, barbo ſive mullus, (barvenam vocant,) fundulus, oculata, quæ lampreda quoque dicitur,

dicitur,aloſa, ſive borbocha, cujus jecur potiſſimum eſt in deliciis: à noſtratibus mientus vocatur. itemque lipien, ſliz, berzana, ucleia, jaſdez, & quæ bialariba, hoc eſt,albus piſcis,à noſtratibus appellatur:quibus latina nomina dare non habemus. Quanquam quid vetat, Alberti Magni, & aliorum ſcriptorum,qui ejuſmodi res perſecuti ſunt, exemplo, eos vernaculis nominibus ad latinum ſonum conformatis appellare? Quod in ſuperioribus quoq; nonnullis factum eſt. Cancris & anguillis abundat inprimis Nida fluvius. Anguillis etiam & ſtintis Habus,&alii nonnulli lacus Pruſſici.Marinis piſcibus non admodum abundat ea regio.Nobiles autem pręcipue ſunt halecès,quos haringasGermani vocant,quorum ſale conditorum maximus eſt vulgo uſus in tota Polonia, atque adeo in Lithuania quoque, Boëmia, Sileſia,Moravia & Vngaria.Tanta eorum copia eſt. Sed in Pruſſia pauci prehenduntur: A Cymbrica autem Cherſoneſo, & Scandia,& ex Oceano Germanico plurimi & optimi navibus eo importantur. Pomuchlæ non deſunt,neque paſſeres. Salmonem ſive eſocem,&ſturionem,inter marinos ne an fluviatiles numerem: neſcio. Vtrobique quidem prehenduntur: Sed è mari ſurſum fluminum certis tempo-

ribus enatant, tranſilientes obſtacula. In quibus etiam inſidioſis capſis collocatis capiuntur. Tanto ſunt autem ſuaviores, quanto longius à mari & Habo receſſè-rint. Quin univerſe piſces ii, qui in fluviis juxta ac lacubus & mari victitant, ſapidiores ſunt in fluviis, quam in mari vel lacubus capti. Non eſt hic prætereunda quarundam aquarum non vulgaris natura. Eſt in Scepuſio rivus ex arduis montibus profluens, cujus guttæ in lapideam duritiem concreſcunt, ita ut ex iis ſponte exiſtant fulcra ſuſtentantia canales, quibus rivus ille ad moletrinas deducitur. Eſt & fons ſive lacus peſtilentem aquam & vaporem emittens, cujus non modo guſtu, ſed etiam afflatu animalia & aves necantur. Sunt etiam nonnullis in locis Poloniæ ſcaturigines tepidarum aquarum, ſulfuris & aluminis odorem redolentium, quibus ſcabies & ulcera hominum & jumentorum curantur. Sed nos ab aquis & aquatilibus ad terreſtres animantes tranſeamus. E ferarum animantium genere fert hæc regio, copiam leporum, dorcarum, ſciurorum: cuniculorum quoque alicubi: Cervorum etiam, & aprorum, & urſorum, & luporum nonnullis in locis. In primis autem Nepolomicenſis & Radomienſis ſaltus nobiles ſunt cervorum venationibus.

bus. Et horum autem , & onagrorum atque biſontium , Pruſſia ducalis , eique finitima Maſovia, ferax eſt , & inprimis Podolia : ubi agminatim in campis non modo hæ feræ , verumetiam feri equi paſcuntur. Eſt autem biſons prægrandis, verum perniciſſima fera , magnis & introrſus leniter incurvis cornibus nigris armata , quibus equum cum ſeſſore correptum in ſublime identidem jactat, & arbores mediocri craſſitudine evertit. Magnitudinis ejus illud quoq; eſt argumentum , quod in capite ejus inter cornua, duo , imo tres etiam homines, poſſunt conſidere. Habet villoſum & hiſpidum corium,& ſub mento palearia. Caro ejus ſale condita in delitiis eſt magnatibus & principibus. Cornu,ſonorum,& ob id venatoribus in uſu eſt. Zubrum ſeu zanbrum vocant noſtrates: Imo & Græci recentiores : Onager vero los appellatur. Alcem hanc eſſe volunt : De qua ſcribunt Plinius, & nonnulli alii ex veteribus. Fera eſt longis cruribus & auribus,aliquanto major equo, colore cæſio & fuſco, mas capite cornuto : Cujus ungula poſteriorum crurum , ſi Autumni initio ſpiranti adhuc deſecentur , expetitur , comitiali præſertim morbo laborantibus ſalutaris. Ferunt etiam capreas montana loca , Vngariæ finitima.

Cæterum uri, hoc eſt, boves ſylveſtres, quos nos thuros dicimus, in ſolis Maſoviticis, ſylvis apud Vyskitcos extant. Et harum quidem ferarum carnes aptæ ſunt humano eſui : Cultui vero pelles ſubminiſtrant panthera, ſive is eſt lupus cervarius, (ris appellatur à noſtratibus,) maculoſis ventre & pedibus: quæ partes maxime in precio ſunt. Martes, ſive Mardures, quas cunas dicimus. vulpes, lupi, roſomaci. lutri item & caſtores amphibia. Atque horum, caſtorum, inquam, caudæ etiam inter delicatos cibos & pro piſcibus habentur, reliqua carne inutili propemodum. Extruit autem ſibi hoc animal cubile ligneum in marginibus fluminum & lacuum, cameris compluribus aliis ſuper alias diſtinctum, ac ſecundum incrementum aquæ domicilium mutat, ita ut cauda natante reliquum corpus in ſicco maneat. Pellem habet in dorſo hiſpidam, ſed mollem: unde fimbriæ fiunt exornandis veſtibus hibernis & pileis. Vrſorum quoque volæ cum digitis eſitantur : pelles etiam ſtragulæ veſtis uſum præbent. Quin & veſtire his famulos cœperunt ii, qui ferroculi videri volunt. Cuniculi, lepores, & ſciuri cultui juxta ac eſui apti ſunt. Sunt etiam in Podolia animalia ſciurorum vel cuniculorum magnitudine,

in cavernis degentia, varias & maculoſas pelles habentia, quæ & ipſæ ad veſtitum & pallia fœminarum expetuntur. Crzecicos vulgo vocant. Omni autem genere ferarum magis abundat Lithuania, propter vaſtitatem ſylveſtrem. De biſontium venatione ſcire operæ pretium eſt, quod in campis Podolicis ſegregati ex agmine ſinguli ab equitibus ſagittariis ordine in girum diſpoſitis conficiuntur. Vnus enim poſt alium feræ adequitantes, jaculantur, citatiſq; equis refugiunt. Efferata autem illa ictu & vulnere, refugientem inſequitur. Interim ferit eam alius: Quem illa rurſus priore dimiſſo inſequitur, donec defatigata labore & vulneribus concidat. In ſylvis vero ii deprehenſi oportuno aliquo loco, dejectu arborum à ruſticanis hominibus ad id coactis, quaſi intra ſepes includuntur, plures etiam quam ſinguli, ita ut effugere inde non poſſint. Deinde extructa ex tempore principibus & magnatibus ac fœminis cavea ſive tabulato editiori, ex quo tuto ſpectare poſſint, venatores cum venabulis ad ſuam quiſque arborem diſponuntur. Mox ab equitibus, ſtrepitu & clamore, admiſſuque canum, fera excitata è vepretis in medium propellitur. Quæ à venatore poſt arborem latente, ut cuique maxime appropin-
 quarit,

efferataque ictu arborem, cujus objectu ille ſe tegit, cornibus petit, & cum arbor ſit gracilior, quam ut ambobus cornibus in eam poſſit impingere, fronte ac toto corporis niſu in eam incumbit, cornibus utrinque prominentibus. Vrget interim ſemel adactum in præcordia ferrum venator, ſenſim cedens appetenti ſe feræ ac circum arborem giranti: nec deſunt canes grandiores morſibus adjuvantes, donec ea exanimata vel defatigata prorſus concidat. Quod ſi venator ictum fruſtratus ſit, aut minus oportune intulerit, aut à fera etiam correptus & proculcatus fuerit, aliquis è vicinioribus rubrum pannum feræ objectat. Hoc enim colore maxime efferatur. Ibi ea dimiſſo priori, hunc petit recipientem ſe ad ſuam arborem, & ab eo feritur & conficitur. Linguæ ejus contactus vitatur, qua longius exerta attrahit ad ſe hominem, ſi vel extremam veſtis ejus oram contingat. Eſt enim ea ſcabra. Vrſi vero, quamvis prægrandes, etiam vivi capiuntur, reti implicati, venatoribus compluribus ſimul accurrentibus, & ligneis furcis caput pedeſque feræ ad terram deprimentibus, donec ea fune conſtringatur. Cõſtricta in arcam ligneam concluditur, ita, ut ſe commovere nequeat, & avehitur. Vnde poſt, ubi libi-

tum

tum eſt, ad ſpectaculum & urbanam vel campeſtrem venationem emittitur. Sic autem colligatur, ut uno tractu funis ex arca prominens ſolvatur. Vidimus aliquando in ſpectaculo equulum, & quidem caſtratum, cum urſo prægrandi commiſſum. qui ex intervallo accurrens, obverſo tergo calcibus urſum petebat & refugiebat, urſo ad ſtipitem, laxiore tamen fune, alligato. Sed alia perſequamur. De jumentorum genere. Bobus & equis abundat Polonia: camelis, aſinis, & mulis caret. Aliunde ii nonnunquam adducuntur, ſed non durant. Ovium item & caprarum ferax eſt. Avium quoquè magnam habet copiam. Præter altiles autem, nempe gallos gallinaceos, domeſticos juxta ac Indicos,(qui nuper adeo invecti ſunt,) anſeres, anates, & columbas, in delitiis hæ ſunt: Pygargus, quem quidam biſtardam vocant, eo quod tardior ſit propter molem corporis,& vix à terra evolet: pavo, grus, cygnus, perdix, bonoſa, coturnix, ſturnus, ſive ſtarnus, & quæ cietrzem & cieciorca,, & gluſletz, quaſi ſurdaſter, à noſtratibus vocantur. Et ut rapaces, aquilas, falcones, accipitres, milvios, vultures, niſos, ardeas, & multas alias mittamus, minorum quoque avicularum aptarum eſui ingens eſt copia.

In

In his nobilis inprimis ea, quæ in ſolis fere Lovicienſibus campis cum nive exiſtit ac diſparet, avicula, paſſere non multo major : quam à nive ſniegulam vocamus. Turdus rarior eſt, itemque pardua, quam ita vocamus nomine vernaculo, quando latinum non habemus. Avis eſt ſylveſtris, gallina non multo minor, in campis Ruſſicis & Podolicis. In iiſdem reperiuntur coturnices virentibus pedibus, quarum eſus ſpaſmum inducit. Ex avibus majores atque teneriores ſub hyemis initium gregatim avolant, vereque novo redeunt : Nonnullæ minores, velut hirundines & cypſeli, implicitis inter ſe pedibus & alis conglobatæ in lacus, paludes, & piſcinas ſeſe immergunt, ac vere novo emergunt, & explicantes ſeſe evolant. Hiberno quidem tempore retibus extractæ à piſcantibus, ſine ullo ſenſu & motu, & ad ignem admotæ, vel in hypocauſtis calidis poſitæ, reviviſcunt & evolant, ſed ſtatim læſæ frigore, vel ignis calore atque vapore inſolito, emoriuntur. Cæteræ hyemis tolerantiores, in ſylvis vel circum domos & villas vitam degunt. Nec plura nunc de ſitu, ubertate & omni deſcriptione Poloniæ. Genti Polonæ ſicut originem, ita & linguam communem eſſe cum Boëmis, Ruſſis, Moſchis, Croatis,

tis, Moravis, Sileſiis, Caſſubiis, Bulgaris, Raſciis, Serbis, Illyriis, & univerſo nomine Slavico ſeu Venedico, alibi expoſuimus. Tametſi dialectis ea tam varia eſt, ut nonnuli ex his populis ægre & vix ſe invicem intelligant. Cæterum ab aliis omnibus linguis ea prorſus diverſa eſt: Niſi quod multa inſtrumentorum, operum, & aliarum rerum ád opificia & communem vitam pertinentium vocabula à finitimis, & priſcis, ni fallor, incolis Germanis, mutuata eſt. Sunt hodieque non modo mercatores & opifices Germani multi ſparſim in urbibus habitantes, verum oppida pene tota & pagi pleni utentium lingua Germanica in ſubmontana regione, eique finitimis Ruſſia & Scepuſio, itemque in extrema ora majoris Poloniæ, deductis eo, ſicut & in Sileſiam & in Pruſſiam, quodam tempore Germanorum coloniis, & multis de plebe compendii ſui cauſa ſubinde immigrantibus. Quin & equeſtres quædam familiæ antiquitus é Germania ducunt originem. Cui rei argumento ſunt ſtemmata ſive inſignia, & eorum nomina. Sed jam ii atque etiam oppidani & pagani diuturnitate temporis ac domicilii, & connubiis, magna ex parte in Polonos tranſierunt. Libenter autem & Poloni propter multum uſum & commercia

mercia cum Germanis condiſcunt linguam Germanicam. Libentius etiam Latinam, propter ſacrorum ritus & ſacerdotia, ſcribendique uſum, qui vulgatiſſimus fuit antiquitus hac lingua, cum in privatis ſcripturis & epiſtolis, tum in actis publicis ac diplomatibus, mandatis, edictis, decretiſque principum, & omnium judicum & magiſtratuum. Eſtque etiam nunc, aliquanto tamen minus, in uſu. Noſtràs enim lingua neque tam copioſa eſt quam aliæ, neque ſcriptu lectuque facilis. Sed Pruſſiæ incolæ, cum maxima ex parte Germani, aut è Germanis oriundi ſint, in conſcribendis actis judiciorum Germanica lingua magis utuntur, vulgo mixtim Polonica & Germanica loquentes. Priſci Pruſſi, quorum pertenues adhuc extant reliquiæ, peculiarem habuerunt habentq; ab utraque penitus diverſam. In Ruſſia, meridionali præſertim, jam fere uſitatior eſt Polonica dialectus, quam vernacula, ex quo gens ea Polonorum ceſſit imperio, Polonis propter ubertatem ſoli & militiam, adverſus Tartaros libenter ibi figentibus domicilia. Sunt etiam in Ruſſia Podoliaque Armeni, mercaturam exercentes: Hebræi vero longe frequentiores, etiam in cætera Polonia, præter Pruſſiam, ſparſim oppida & vicos incolentes. Vtri-

que ſua lingua utuntur: ſed & Polonica, vel Ruſſica: Hebræi vero paſſim & Germanica. Penetrarunt & Itali mercatores atque opifices in urbes primarias noſtra fere memoria: Eſtque nonnullus ejus linguæ uſus etiam apud Polonos elegantiores. Libenter enim ii peregrinantur in Italia. Pagis autem & vicis potiſſimum, atque etiam oppidis, gens Polona antiquitus habitat: quibus fere caſtella & arces adjunctæ ſunt, dominorum & præfectorum domicilia. Vrbes munitas atque cultas non multas habet. Princeps eſt Cracovia in minore Polonia, regum & regni domicilium: Quæ cum ædificiorum privatorum juxta ac publicorum ſplendore atque munitione, tum rerum omnium ad victum cultumque corporis pertinentium, & mercium exoticarum copia, emporio, magnis ad vitam degendam commoditatibus, hominumque frequentia, civilitate & elegantia, facile primum locum obtinet, & cum claris Germaniæ Italiæque urbibus certat. Germanis autem mercatoribus abundat antiquitus. Neque caret Italis. Habet oportunitatem Viſtulæ fluvii, quo piſces, ligna, & omnis ædificiorum materia, & alia quædam è vicina Sileſia importantur. Nonnulla etiam cum alio, tum in Pruſſiam deportantur, &

inde merces exoticæ reportantur. Habet item ſuburbana ampla & frequentia, & cum hortis atque pomariis delicatis, tum vivariis piſcium & prædiis culta, ac temperie cœli amœna. Adjuncta ſunt ei duo oppida: à meridie quidem Cazimiria, ponte ligneo juncta interlabente Viſtula. Eſt tamen intermedius urbi & ponti continens viculus, cui nomen eſt Stradomia. Quem flexus Viſtulæ tria latera ambientis, & influentis in eum Kudaviæ occurſus facit inſulam. A ſeptentrione vero pomariis urbis continens eſt Cleparia, non tamen cincta mœnibus, ut eſt Cazimiria. Habet & arcem peramplam Cracovia à latere Auſtrali in colle ſeu rupe, Viſtulæ & Stradomiæ imminentem, mœnibus turribuſque munitam, & magnificis regiæ ac baſilicæ, in qua ſedes eſt Epiſcopi, duorumq; præterea delubrorum, & aliarum privatarum domuum ædificiis exornatam. Regiam quidem Sigiſmundus rex ſenior noſtra fere memoria in eam, quæ nunc viſitur, formam, amplitudinem & ſplendorem redegit. Habet Academiam quoque omnium diſciplinarum atque doctrinæ ſtudiis & profeſſione florentem. Olim tamen, quam nunc honeſtis diſciplinis & frequentia præceptorum juxta ac ſtudioſorum florentiorem, cum prin-

principes viri ornamentis patriæ magis faverent ac ſtuderent,necdum vel Luteraniſmo infectæ,vel ferro Turcico divexatæ, & ferme ſubactæ eſſent gentes finitimæ. Sita eſt autem urbs ea non procul à finibus Sileſiæ,Vngariæ & Ruſſiæ, longitudinis quidem gradu 42, latitudinis vero 50. Secundum hanc ſunt haud ignobilia oppida, in eadem minore Polonia ac diœceſi Cracovienſi. Lublinum, triceſimo ſexto milliario verſus ortum æſtivum, long. 45 fere,lat. amplius 51 gradu: non ſpacioſum quidé,ſed bene exædificatum, & externarum gentium, Chriſtianarum juxta ac barbararum,emporio nobile: Deinde Sendomiria, Sandecia, Tarnouca, Biezzum ſive Becia, Viſlicia, & Ilcuſſum & Oſuencimum in Sileſia. In majore Polonia Poſnania urbs eſt, æmula Cracoviæ, quinquaginta milliariis ab ea diſtans, longitudinis quidem gradu 39, lat. vero 52,min.30, itidem commerciis & emporio Germanorum exculta. Quæ & ipſa Academiam, opera & ſumptibus Ioannis Lubrantii epiſcopi noſtra ætate fundatam, ſed à ſucceſſoribus ejus neglectam habet.Nunc tamen ea cura & munificentia Epiſcopi Adami Conarii inſtauratur. Habet & arcem, & baſilicam ſedemque epiſcopi, cum oppidis Srodca

& Valiſlevo, interlabente Varta flumine diſiunctam. Secundum hanc ſunt oppida Caliſſia, Gneſna, vetuſtate & Archiepiſcopi ſede baſilicaq; nobilis, Vuſchovua, quam Freiſtadiam Germani vocant, Coſtenum & Slupcia epiſcopi. In Ruſſia Leopolis long. gradu fere 46, latitud. 49, ſita quinquageſimo à Cracovia milliario: Vrbs eſt ſatis munita, duas arces adjunctas habens; emporio civiumque elegantia & humanitate florens, ac ſede alterius Archiepiſcopi, duorumque epiſcoporum, nempe Armenici atque Ruſſici, non ignobilis. Sunt etiam oppida Præmiſlia & Croſna: Quorum Præmiſlia arce munita, & duobus epiſcopis, latino ſive catholico, & Ruſſico, cohoneſtata eſt. Chelma quoque itidem duos habet epiſcopos: ſed propter oppidi ſeu vici immuniti infrequentiam, Tartaricaſque excurſiones, catholici epiſcopi cathedra Craſnoſtaviam tranſlata eſt. In Podolia Camenecia eſt, urbs cum arce, natura loci manuque permunita, triginta milliariis bene longis diſtans à Leopoli: verſus ortum hybernum long. grad. 49 ferme, lat. vero 48, min. 30. Habetq; & ipſa ſuum epiſcopum. In Maſovia Varſavia eſt, longitudinis 43, lat. 52 gr. & minuto 20, pari fere ſpatio, hoc eſt, quadraginta milliariis à Cracovia & Poſnania. Deinde

Plo-

Ploſcum baſilica nobile & epiſcopo, ejuſque epiſcopi oppidum Pultovia cum arce, & Lomza. In Cuiavia ſunt, Breſte, & Vladiſlavia ſedes & oppidum epiſcopi, cum arce, quam Staniſlaus Carncovius epiſcopus nuper ſplendidiorem & magis habitabilem reddidit. In Pruſſia vero Gdanum ſive Dantiſcum, octogeſimo ferme à Cracovia milliario, à Poſnania vero quadrageſimo, à mari uno ferme: longitudinis quidem gradu 41, minuto 30, latitudinis vero 54, min. 20. urbs eſt è tribus oppidis coagmentata, portu, navalibus, & horreis nobilis: copia & varietate mercimoniorum, partim maritimorum ex toto occidente & ſeptentrione, partim terreſtrium ex diverſis mundi partibus, & fluviatilium, maxime Viſtulæ præterlabentis opportunitate, abundans: munitione firma, civium & convenarum induſtria ac diligentia culta. Gdano proxima dignitate nunc eſt Torunia, viginti quatuor milliariis introrſum verſus Poſnaniam & Cracoviam ab eo diſtans, & in ripa Viſtulæ ſita, longitudinis grad. 41, lat. 32, duobuſq; oppidis diſtincta. Olim emporio & omnibus rebus florentior. Sed Gdani incrementa eam nonparvis detrimentis affecere, & infrequentem reddidere: quod ab ipſa itidem Culmę prius uſu

venerat: quæ civitas ea dignatione fuit antiquitus, ut ab ea cætera omnis Pruſſia atque etiam Maſovia pleraque, jus peteret: Quod inde etiamnum Culmenſe dicitur. Viguerunt in ea non ita pridem etiam bonarum literarum ſtudia. Nunc ea pro amplitudine ſua infrequens eſt admodum: Cumque ſuperiori tempore in ditione regia fuiſſet, nunc paret epiſcopo, qui inde nomen habet. Tametſi cathedra ejus eſt in oppido Culmeſea, uno milliario inde diſtante. Elbinga etiam Pruſſiæ urbs eſt gemina, permunita & copioſa: niſi quod ejus quoque luminibus, ut ita dicam, officiunt, ab altera parte Gdanum, ab altera Regius mons ſive Kœnixberga, vicinæ, & majore commoditate portuum copioſæ urbes. Eſt autem Regius mons, ducalis Pruſſiæ caput, tribus oppidis & arce magnifica, noſtraque memoria etiam baſilica & ſede epiſcopi Sambienſis inſignis: terreſtri quidem itinere decem octo milliarium, per Habum vero aliquanto minore intervallo à Gdano diſtans, long. gradu 43, lat. 54, min. 50. Prægola flumen oppida interſecat, & uno ferme milliario infra ea in Habum influit. Minoribus item oppidis frequens eſt admodum utraque Pruſſia, & quidem nec incultis, nec immunitis. In regia prima-

rium

rium eſt Marieburgum, cum ipſum per ſe mœnibus turribuſque permunitum, tum arce ampliſſima & munitiſſima nobile, ſitum ad Nogatum brachium Viſtulæ, ſexto ab urbe Gdano milliario: Propter adjacentis autem inſulę, cujus mentionem ſupra fecimus, ubertatem glebæ, pagorumque frequentiam & cultum, copioſum & frequens. Ea vero inſula in paluſtri olim reſtagnantis Viſtulæ ſolo operibus & prœalti ac firmi aggeris objectu effecta, magno hominum labore non ſine periculo ab inundatione fluminis defenſatur. Major vocatur. Minor autem appellatur ea planicies, quæ ad Gdanum eſt inter alterum ejuſdem Viſtulæ brachium dorſumque montis vicini uſque ad mare: & ipſa paluſtris fere olim: Nunc autem foſſarum ductibus exculta & facta compaſcua. Marieburgo non multum ulla re cedit Alleſberga, ſive Heilſberga, epiſcopi Varmienſis domicilium. Cathedra enim ſupra Fraumbergam eſt, quemadmodum ſuperius attigimus. Initio vero, Brunſbergæ ea fuit collocata. Quod ipſum quoque oppidum geminum, permunitum, frequens & copioſum eſt, ita ut inter primarias urbes Pruſſiæ numerari queat. Quam nuper vir ampliſſimus Stanislaus Hoſius, S.R.E. Cardinalis &

Varmienſis epiſcopus una cum ſacro ejus ipſius Eccleſiæ collegio ſtudiis literarum atque doctrinæ nobiliorem reddidit, nobis adjutoribus & in religione catholica conſervat , collegio religioſo eorum hominum, qui de ſocietate Ieſu vocantur, in ea collocato. His oppidis non multum cedunt Guteſtadia, Alleſteinum, Reſla, Vormita, Melſacum, Vatemberga, Sebergum in eodem tractu ac diœceſi Varmienſi. In Pomerania, Tucholia, Choinicia , Stargarta ſive Starigrodum, Nouum, Gneum, Derſavia. In reliqua Pruſſia, Neimarcum, Brodnicia, Stuma, Grudentum, Lubavia, Razinum, & inter hæc inrerjectum ducale Quizinum , quod Germani Marieverder vocant, non ita pridem ſedes Pomeſanienſis epiſcopi: Cujus diœceſis inſulam quoque majorem & Stumenſe territorium complectebatur. Nunc ea caret epiſcopo. Hæc omnia oppida & ipſa per ſe mœnibus cincta ſunt, & fere arces validas & bene exædificatas, ſed vetuſtas, adjunctas habent. In cætera quoque Polonia non infrequentia ſunt oppida, aut ſi vicos appellare malumus, pleraque ſine ullis mœnibus, nec niſi ligneis ædificiis: præter templa & caſtella ſive arces adjunctas. Sunt item arces in editioribus locis & rupibus extructæ, nullis adjun-

ctis

ctis oppidis : Melſtinum , Tencinum, Landiſcorona, Ogrodenecia, Lipovecia, Olſtinum, Pilcia, Sorſtenum, Soben, Ocecium, Viſnice. Sunt & monaſteria ad munitionem pariter & commoditatem habitatorum exædificata, & vicis pagiſve non longe diſtantibus frequentata: Tinecenſe, Mogilenſe, Miechovienſe, Andreovienſe, Breſcenſe, Stananticenſe, Coprivunicenſe ſive Pocrivunicenſe, Lyſſecenſe, Cienſtochovienſe, Vitovienſe, Suleovienſe, Landenſe, Lubinenſe, Cervenſcenſe, Paradiſenſe, Mogilnenſe, Tremeſnenſe, Secechovienſe, Vangrovecenſe, & Sarnovicenſe, Pelplinenſe, Olivenſe, Zucovienſe in Pruſſia. Pagi plerique omnes ad lacus, rivos, & flumina ſiti ſunt, ſparſim duplici, utplurimum, ordine diſiectis agreſtium domiciliis. In his caſæ ſunt ligneæ vel luteæ, humiles pleræque, omnes ſtramentis, nonnullæ aſſerculis intectæ, præter prædia domoſque dominorum, quæ ampliores ſunt & cultiores. In Pruſſicis tamen pagis agreſtes Germani minus inculte habitant: Oppidani vero cultius etiam lateritiis fere domibus interjectu trabium firmatis, & ad omnem commoditatem inſtructis: Quæ tamen pleræque ſtramentis tectæ ſunt, nonnullæ lateritiis tegulis. Vrbes longe ſunt cultiores, niſi quod

habent domos anguſtiores. Cæteræ vero Poloniæ urbes primariæ laxioribus domibus, nec minus cultis habitantur. In quibus cum Germani mercatores ſuperiori ætate lateribus & lapidibus elegantius ædificare cœpiſſent, nunc Poloni quoque eodem ſtudio tenentur, illoſque ſuperare contendunt: Nec in urbibusmodo, ſed etiam in villis lautius habitare ſtudent, Italorum fere opificum opera & induſtria. Hypocauſtorum permagnus eſt uſus majore parte anni in tota Polonia, præter Caſſubiam,& Pruſſiæ partem quandam: ubi agreſtes per hybernum tempus accenſo in medio domicilii foco, cum pecudibus, jumentis, ac cæteris animalibus & avibus domeſticis in ſordibus, fœtore, atque fumo (licet non deſint ampla fumaria) vitam degunt: ſicut & in Samogitia, & aliis ad Septentrionem vergentibus regionibus. Quanquam hypocauſta quoque, agreſtium duntaxat, pleraque fumoſa ſunt, (ut quæ furnis ad coquendos cibos & panes intus extructis calorem excipiant, & fumariis magna ex parte careant,) & anſerum, anatum, gallinarumque cum pullis ſuis,ac ovicularum quoque, capellarum, vitellorum, ac fucularum, propter hybernum gelu, admiſſu & receptu ſordida. Balnearum item excalfactarum

fre-

frequens eſt Polonis uſus æſtate juxta ac hyeme ad abluenda & levanda ſudore corpora. In quibus mares ſeorſum lavant à fœminis. Veſtium genus neque unum eſt, neque certum, aut ſuum cuique ordini, conditioni, ætati & generi hominum. Exoticis delectantur plurimi. Fœminæ paſſim cum alio cultu vario, tum virorum amiculis utuntur. Quanquam id novum eſt. Reticulis tamen, aut lineis velis ſive flammeis, eæ capita integunt. Puellæ antiquitus nuda capita ſertis aureis, gemmatis, vel ſericeis, vel floreis, vel herbaceis redimitæ, progrediuntur in propatulum: Sed nunc eæ, atque etiam matronæ, pileis ſericeis, pellibus ſuffultis, itidem ac mares fere, tectæ incedunt. Victus genti antiquitus vulgo & in plebe, agreſti præſertim & vicana, ſuccidia, lactariis, piſciculis, oleribuſque potiſſimum conſtat. Nunc multi verveci-na quoque, & vitulina, & bubula carne victitant: Quarum carnium fora in pagis quoque apud templa & parœcias feſtis diebus inſtituuntur. Vrbanis, atque nobilitati, victus eſt dapſilior: Et jam lautior etiam, menſæque cum altilibus, tum feris animalibus, avibuſque, & piſcibus lautis, inſtructæ: In quibus permagnus eſt aromatum, neque exiguus ſaccari, & aliorum exoticorum condi-

mentorum uſus: Nec oleribus exquiſitis & piſtatiis eæ carent. Nec deſunt bellaria, aliæque lautitiæ, cum domi natæ, tum exoticæ. Triticei panis vinique uſus non ita pridem inolevit apud elegantiores. Nunc quidem utroque multum. utitur etiam vulgus in conviviis: Vino quoque, præſertim in minore Polonia vicina Vngariæ & Moraviæ. Nec obſtat pretium. Cæterum ſiliginei panis, & cerevisiæ, promiſcuus eſt uſus in tota Polonia. Fit autem cerevisia in Pruſſia quidem ex ordeo, in cætera vero Polonia etiam è tritico minutatim molito ſeu confracto, & aqua decocto cum lupulo. Admiſcetur nonnunquam tritico ſiligo, vel ſpelta, vel avena. Mel quoque itidem cum lupulo aqua decoctum in frequenti uſu eſt: Ruſſis præſertim & Podoliis, apud quos permagna eſt apum & mellis optimi ex dictamno & aliis bene olentibus herbis ac floribus collecti copia. Nec Pruſſis & Maſoviis mel deeſt; Qui & ipſi itidem id decoquunt. Medonem vulgo vocant. Solet autem is condiri Varſaviæ peculiariter ſucco è ceraſis rubive malis expreſſo, aut aromatibus: & pro ratione condimentorum, kerſtrangi, malinici, ac troinici nomen accipit. Color hominum fere candidus eſt: capillus flavus, vel magis albicans: ſtatura medio-

mediocris, aut mediocrem paulo excedens, habitudo corporum ſucculenta. Niſi quod fœminis, & maxime puellis nobilioribus urbaniſque ſtudium eſt, ut ſe reddant curatura junceas, quemadmodum inquit ille. Alioqui formæ atque teneritudinis non magna ab iis adhibetur cura. Fucare autem faciem, & capillos tingere, indecorum habetur. Sed eſt in viris juxta ac fœminis naturalis quædam formæ bonitas, ingenuo rubore tincta. Ingenia Polonorum ſunt aperta & candida, & falli quam fallere magis apta: non tam irritabilia, quam placabilia: minime proterva aut pertinacia: imo valde tractabilia, ſi commode ac placide tractentur. Exemplis autem inprimis ii commoventur: & ſunt principibus & magiſtratibus ſuis ſatis morigeri. Ad comitatem, civilitatem, benignitatem & hoſpitalitatem prompti, ita ut ignotos & externos non modo libenter ſuſcipiant hoſpitio, ſed etiam invitent, & omni officio proſequantur: & non modo ad convictum atque familiaritatem quorumlibet faciles, verumetiam ad mores & imitationem eorum, cum quibus vivunt, externorum præſertim, flexibiles. Iuventutis laxior eſt paulo & neglectior educatio: Sed ea naturę bonitate compenſatur. Ad Scholas quidé &

ma-

magiſtros mittere mares liberos, & latinis literis teneram ætatulam imbuere, omnibus, pauperibus juxta ac divitibus, nobilitati ac plebi, oppidanæ præſertim, ſtudium eſt. Multi pædagos domi alunt. Itaque ne in medio quidem Latio quis reperiat tam multos vulgo, cum quibus latine tamen loqui poſſit. Puellæ quoque nobiles & urbanæ, vel domi vel in monaſteriis, vernacula, imo & latina lingua legere & ſcribere diſcunt: Adultiores, puellæ quidem rei familiari, culinariæ præſertim & pecuariæ curandæ, lanificioque ſeu linificio potius, atque textrinæ, & acu pingendi arti, manus admovent: Mares vero agriculturæ, vel opificio cuipiam, vel mercaturæ, vel magiſtratuum & procerum ſacerdotumve opulentiorum miniſteriis vel affectationi ſeſe addicunt. Multi domi cum parentibus vitam degunt, eoſque in re familiari curanda ſublevant, ac decedentibus eis, patresfamilias facti, rem ſuam agunt. Complures libenter peregrinantur, diſpendiorum reifamilias negligentes, egeſtatiſque & omnium, quæ peregrinantes conſequuntur, incommodorum tolerantes. Externa enim magis, quam domeſtica admirantur. Itaque linguas earum gentium, ad quas pervenerint, cupide & facile diſcunt. Quin

etiam

etiam in victu cultuque corporis & moribus, novi aliquid peregre afferre ſtudent, indeque elegantiæ laudem quærunt. Quod jam ad opiniones quoque de religione proſerpſit. Sunt autem docilia hominum ingenia, & valent quocunque intenduntur: Sed alienis inventis perdiſcendis ea magis accommodant, quam ut novi aliquid ipſi excogitent, & excellere magnopere ulla re ſtudeant. Id adeo fit, ſive quod uni alicui arti & ſtudio non libenter ſeſe addicunt, ſed multa noſſe cupiunt: ſive incuria, ſegnitie, laboriſque fugitatione, quæ pleriſque in rebus peculiaris eſt huic genti: præſertim quod homines, ad quorum uſum fere liberalia juxta ac mechanica ſtudia referuntur, mediocritate contenti, exquiſitam artificum & operum præſtantiam non magnopere requirunt: Seu denique quod ditiores otio delitiiſque ſeſe dedunt, relicta tenuioribus ingenii & induſtriæ exercitatione; hos vero, cum ſit difficile, ut ait Philoſophus, egentem bene operari, præſidiis vitæ comparandis diſtineri, & alienis nonnunquam ab ingenio ſuo ſtudiis & negotiis implicari neceſſe eſt. Atque ubi, quod ſatis eſt, compararint, & ipſi ferme ſuperiorum ſimiles evadunt, vel rei familiaris tuendæ cura, litiumque anfractibus, vel

vel potentiorum conſectatione diſtrahuntur: idque ſive ambitionis ſtimulis incitati, ſive quo ſe ſuoſque certo aliquo præſidio ab aliorum injuriis & contumeliis vindicent. Neſcio enim quomodo fit, ut ad vitæ commoda & ornamenta non modo comparanda, ſed etiam tuenda non ſatis præſidii ſit, hac noſtra præſertim ętate, in ſolis animi & ingenii bonis, & in legibus ac jure communi. Non tam autem ad artes mechanicas tractandas Poloni apti eſſe videntur, quam ad ſtudia doctrinæ. Niſi forte illas contempſere potius, quam aſſequi nequivere. Externis quidem pleriſque opificibus antiquitus uſi ſunt, & utuntur etiam nunc non paucis. Bonarum literarum atque doctrinæ ſtudia accuratius conſectantur, inprimis ii, qui his præſidiis ex humilitate ſordibuſque domeſticis emergere cupiunt, aut qui ſua vel parentum voluntate ad ſacerdotium animos adjiciunt. Severiores autem diſciplinas ad noſtra uſque tempora potiſſimum conſectati ſunt Poloni. Non defuere nobis ſane ſuperioribus temporibus inſignes mathematici, aſtrologi, dialectici & philoſophi, atque etiam theologi, ii præſertim, qui vocantur Scholaſtici, cum inſtituta Cracoviæ ante centum ſeptuaginta annos Academia, magiſtri ejus generis

neris

neris Lutetia Pragaque acciti, admirationi eſſent vulgo & primoribus, atque ipſis etiam regibus. Humanitatis & linguarum eruditarum ſtudia diu neglecta jacuere: Nec ſolum apud majores noſtros, verum & alibi fatali quadam temporum conditione. Proinde non erat, unde noſtrates ea diſcerent poſt acceptas cum religione Chriſtiana literas & cultum vitæ mitioris. Quo factum eſt, ut illi quoque, qui tunc docti habebantur, & erant, nihil propemodum literis mandarent, nec in publicum ſibi edendum eſſe ducerent, ſi quid forte excitandi ſui aliorumve docendorum cauſa conſcripſiſſent. Neque ſane expedita erat edendi ratio, cum careret Polonia typographis. Ita doctorum virorum memoria cum ipſis pariter extincta eſt. Nunc certe poſteaquam animadverſum eſt, in pretio eſſe linguarum, eloquentiæ humanitatiſque ſtudia, cupide ea quoque noſtrates amplexi ſunt, ſed ad uſum civilem & vulgarem magis quam ad gloriam. Non defuere tamen noſtra hac ætate, neque nunc deſunt, cum in ſtudiis humanitatis & eloquentiæ, tum in omni genere doctrinæ, magni quidam & excellentes viri, qui cum commoda vitæ honeſtiſſimis diſciplinis, & gloriæ, ſive utilitati publicæ poſthabuiſſent, eo evaſerunt,

ut

ut admirationi ſint, ſi non ſuis, certe externis, incorruptius judicantibus. Sed eos recenſere nunc neceſſe non eſt. Nec medicinam poſthabent, poſteaquam ea, vulgatis delicatiore & laxiore victus ratione morbis, in precio eſſe cœpit. In aliis minus elaborant, propterea quod minus ea conducere videntur ad commoda & ornamenta vitæ comparanda. Non eſt enim novum, plurimos mortales hunc finem ſtudiis laboribuſque ſuis ſtatuere, patreſque ſimiles illius habere, de quo canit poëta quidam:.

Sæpe pater dixit, ſtudium quid inutile tentas?

Rem porro familiarem diligentius curare, non ita pridem, & eodem prope tempore, quo bellorum incommodis vacui, luxum ſplendoremque, conſectari cœpimus. Sed in ea minor eſt vulgo parta tuendi ac diſpenſandi quam acquirendi diligentia. Majores quidem noſtri comparandis divitiis non magnopere incubuere, ſatis habentes, ſine magna cura & labore, unde in diem propemodum, ſi non laute, non dure quidem certe, nec parce cum ſuis viverent: Itaque tranquilliores tunc res domi erant. Minus appetebatur alienum: Minus erat litium: Minus jurgiorum atque cædium: Minus fraudium & perjuriorum. Major

autem

autem erat fratrum & agnatorum, cognatorum, affiniumque inter ipſos concordia & benevolentia. Major non modo parentum, ſed etiam quorumvis natu grandiorum reverentia. Perrara finium regundorum judicia. Herciſcundæ vero familiæ nulla propemodum. Cæterorum enim cognatorum aut vicinorum natu majorum interventu & interceſſione componebatur, ſi quid ulla de re exortum erat controverſiæ, quod ipſi inter ſe vicini vel neceſſarii tranſigere familiariter nequiviſſent. Res militaris quoniàm cum inſtituto gentis, tum temporum quadam conditione in honore fuit ſuperioribus, atque adeo omnibus fere ſeculis, extitere multi virtute bellica præſtantes viri, maxime noſtra memoriâ, non ita pridem extincti. Et quamvis in diuturna pace & otio, extant etiamnunc nonnulli. Nec emarcuit vulgo in Polonis vigor ille animorum, laudiſque bellicæ ſtudium, ſi qua ſe uſquam offerat idonea virtutis exercendæ occaſio. Meditationẽ & exercitationem viri ſapientes requirunt. Idque ideo fortaſſe, quia deſunt virtuti ſua præmia, & quod ignavo otio & conviviis pluſculum indulgetur. Ad hæc autem, & feſtas epulas, conveniunt plerunq; vicini & neceſſarii inter ſe, ad unum aliquem viri

ſoli, vel pariter cum fæminis. Nec turpe habetur puellas intereſſe, & earum colloquia, convivia, choreaſque à juvenibus frequentari, parentibus earum cognatiſque natu majoribus præſentibus: Atque ita plurima conciliantur matrimonia. Nec raro in ejuſmodi conviviis ſimultates & inimicitiæ abolentur, & vel diſſolutæ vel nutantes amicitiæ redintegrantur. Quanquam intemperantioribus compotationibus interdum cruentæ quoque pugnæ inter convivas amicos & neceſſarios accenduntur, jurgiis plerunque inter viliora ſervitia cohortis. Potantibus enim dominis, nec illa à poculis arcentur. Quin illiberalis convivator habetur, cui curæ non eſt, ut ſervitia convivarum bene paſta ac pota ſint. Quo fertiliores enim ſunt hæ regiones, eo magis indulgent homines vulgo crapulæ prolixioribuſque conviviis & compotationibus, ita ut multi eum ſolum ducant fructum laborum atque divitiarum ſuarum. Vigent autem paſſim inter mares compotationes ad æquales hauſtus, non ſolum in conviviis, verumetiam in cauponis, ad quas vulgus compotandi cauſa convenire ſolet ∴ Eoque provecta eſt hæc licentia, ut quod profeſtis diebus partum eſt, feſto die potando ſere prodigatur. Atque inde fit, pro-

proſerpente potandi etiam profeſtis diebus & otii conſuetudine & inertia, ut anguſtiore re familiari utantur multi: præſertim cum nemini curæ ſit, quid privatus quiſque gerat negotii, unde & quomodo ſeſe ſuſtentet: & fructuoſa ſit autem dominis & magiſtratibus illa potandi licentia. Etenim non exigua vectigalium publicorum juxta ac privatorum portio è cauponis corrogatur. Exolescit tamen ſenſim apud honoratiores illa ad æquales hauſtus potandi conſuetudo, eorum ſtudio, qui apud eas gentes, quę humanitatem ſtudioſius colunt, peregrinati ſunt. Sed lautitia in victu potuque magis ac magis indies inoleſcit. In cultu quoque corporis, veſtiumque numero, varietate ac pretio, major luxus exiſtit. Nec ſolum exoticis pannis & pellibus, verumetiam ſerico & purpura veſtiri, & argento, auro, margaritis, gemmis exornari mos inolevit, inferioribus quibuſque præſtantium genere, honore vel facultatibus exempla cupide amplectentibus, nullis autem legibus ſumptuariis modum in victu cultuque corporis cuiquam ordini aut homini præſcribentibus. Quo planiora autem & abſolutiora ſint omnia, quæ de gente Polona perſequimur, ordines & genera hominum deſcribamus:

Quæ deſcriptio reipublicæ quoque fundamenta continebit. Diſtinguitur populus Polonus partim genere, partim ex religione ſumpto vitæ inſtituto. Ac genere quidem in equeſtrem ordinem ſive nobilitatem, atque plebem diſtribuitur: Religionis autem inſtituto in ſacrum & profanum ordinem Liceat autem nobis eum qui fanorum atque ſacrorum adminiſtrationem non habet, profanum appellare. Vulgo eccleſiaſticum & laicum, vel ſpiritualem & ſecularem ſtatum & ordinem vocitant. De his poſterius: Nunc de nobilitate & plebe. Nobilitas Polona ad regimen atque defenſionem cæteræ multitudinis regioniſque ſegregata eſt: Atque inde qui ſunt hujus ordinis, antiquitus milites, nunc equites fere ab equeſtri militia cui ſunt obnoxii, à latine loquentibus & ſcribentibus appellantur: Vernacula autem lingua Schliachta, à generis nobilitate; mutuato niſi fallor à Germanis vocabulo, (quaſi *geſlechter*.) vocantur: & Ziemianie, quaſi agrarii, vel, ut vulgo interpretantur, terrigenæ, à terra & agris, quos fere colunt & habitant, antiquitus hæreditariis, pretiove ſeu principis beneficio partis, vocantur. Habet autem ea multas & magnas prærogativas, quæ partim regum & principum munificentia firmatę

ſunt,partim moribus & inſtitutis invaluere: Quæ magna ex parte ſparſim opportunis locis huic & hiſtorico operi à nobis inſertæ ſunt. Regi quidem ea ſoli fere ſubjecta eſt. Iudicatur tamen ad præſcriptum legum & à magiſtratibus regni & regiis, quemadmodum poſteriori libro oſtendemus. E cæteris,privatis præſertim, nemo nobilitatem cum agris & pagis ſubjectam habet: Niſi forte in Ruſſia,antiquitus, & priſco ducum gentis jure. Habet etiam Cracovienſis Epiſcopus in Severienſi ditione: Habet & Varmienſis, ejuſque ipſius eccleſiæ collegium: Quin & Plocenſis Præpoſitus: & alii fortaſſe. Licet tamen homini nobili ſive equiti ſculteriam,ut vulgo vocant,ſive advocatiam,in bonis alienis paganis juxta ac oppidanis voluntate domini obtinere: (De Sculteriis autem & Advocatiis poſteriore libro dicemus:) Licet etiam privati conditione in urbem vel oppidum cujuſlibet commigrare, ſalvis perſonæ ſuæ prærogativis, niſi is decus nobilitatis amittat. Nobilitas porro genere cenſetur & meritis, adjuncto vitæ inſtituto. Habentur enim nobiles, quorum majores aut parentes virtutis ergo in eum ordinem allecti, militiæque adſcripti,& gentilitio ſigno donati ſunt, quive ipſi hæc meruere virtute ſua. Sed

præſtabilius habetur, nobilem natum eſſe, quam factum. Naſci autem patre ſimul & matre nobilibus oportet legitimo conjunctis matrimonio. Quanquam nec plebeia mater liberorum nobilitatem minuit, dummodo pater ſit nobilis. Nothi quamvis nobilibus & illuſtribus orti, non cenſentur in familiis, neque nobilitatis prærogativis fruuntur. Conferendi porro hujus decoris, hoc eſt, nobilitatis, poteſtatem, ſolus habet princeps: Idque vel ſuo ipſius judicio & beneficio facit, vel interveniente teſtimonio, & quaſi adoptione clarorum & principum alicujus familiæ virorum, ſtemma & gentem ſuam cum eo, qui ita creatur nobilis, communicantium. Ejuſmodi tamen creatis nobilibus obtinere & poſſidere bona terreſtria ſtatuto quodam novo non licet. Sed poſteritas eorum pari cum aliis natis equitibus jure eſſe incipit. Amittitur porro nobilitas decreto principis, ob admiſſum dedecus, & atrox aliquod facinus. Contaminatur etiam, & abdicatur quodammodo, ſi quis deſertis militiæ & agriculturæ ſtudiis, ſordidum quæſtum faciat arte mechanica, vel tenuiore & minutioribus menſuris ac ponderibus utente mercatura & cauponatione. Eſt autem pari dignatione Polonica omnis nobilitas,

tas : Nec eſt ullum in ea patritiorum comitumve diſcrimen , exæquata quodam tempore omnium conditione. Nuper adeo paucis quibuſdam, parentum, vel ipſorummet amplitudine atque meritis , & principum beneficio, Comitum decus denuo partum eſt. Ducum , qui peculiares haberent dominatus vel territoria , nunquam aliud genus fuit apud Polonos , quam id , quod à Boleſlao Krivouſto principe propagatum fuit , cum is principatum inter liberos diviſiſſet. Verum id jam defecit. Ruſſi habuerunt antiquitus ſuos duces , habentque etiamnum ii , qui dudum Lithuanicæ ditionis fuere , aut ſunt etiamnum, & Volynii. Neque enim ſubactis , vel in deditionem acceptis ea prærogativa adempta fuit. De Pruſſorum & Curonienſium ducibus poſt attingemus. Multæ ſunt autem nobilitatis Polonæ gentes, & quaſi tribus, non locis, & regionibus , verum ſignis quibuſdam gentilitiis , quæ arma & inſignia vocant , eorumque appellationibus diſtinctæ , quæ ſingulæ rurſus multas ſtirpes & familias cognominibus & agnationibus diſtinctas complectuntur. Verbi gratia, Lelivicorum gens, cujus ſignum ◡ eſt , nova luna ſuperne ſtellam inter cornua continens in

cæleſtino ſcuto, Tarnoviam, Pileciam, Melſtiniam, & alias nonnullas honeſtas & amplas familias comprehendit. Signa vero gentilitia, ſive inſignia, partim à rebus, quarum ſunt notæ, quemadmodam Topororum ab aſcia, partim ab eventu, ut Ielitiorum à viſceribus transfixis, appellationem habent: Plurimorum ratio obſcura eſt. Niſi forte à primis conditoribus gentium ea ſumpta ſunt. Neque enim olim, ut nunc, ab arcibus, villis & pagis, quibus dominabantur, denominabantur equites. Sed undelibet ſumpta aut indita nomina, ad longam poſteritatem, amiſſo etiam vel commutato Patrimonio, recte tranſmittebant. Qualia ſuperſunt etiam nunc multa cum alibi, tum in Submontano & Sirienſi tractu, & in Ruſſia. Vt ſunt Herborth, Dunin, Iordan, Gladis, Pienianſcus, Pirſchala, Cmita, Farureius, & alia ejuſdem generis. Nunc malunt plerique de arcium, oppidorum & pagorum nominibus, deflexa paululum per denominationem in *ski* ſive *ki* voce appellari. Ea vero deflexio vel adjectio ſyllabæ à latine loquentibus & ſcribentibus in *ius* commutatur, ita ut à Choina Choinski, & pro ea Latine Chonius, à Craſne Craſinski, & pro eo Craſinius, à Laſco Laski, appelletur: Cæterum pro eo non

Laſcius,

Laſcius, ſed Laſcus dicitur. Quod nos in hiſtoria ſecuti ſumus, perſpicuitati orationis & externorum auribus inſervientes. Idem veteres hiſtoricos Græcos & Latinos in barbaris nominibus factitaſſe animadvertimus. Interdum autem ſine hac deflexione vel adjectione, arcis vel oppidi, vel pagi nomen, unde quiſque ortus, vel cujus dominus eſt, cum præpoſitione *de*, vel *à*, vel *ab*, vel *in*, cognominis loco uſurpatur, à magnatibus præſertim & clarioribus: ita ut verbi gratia, in Tencin, vel à Gorca, vel de Felſtein quis appelletur. Obſervaturque in his vulgo diſcrimen quoddam non magis à Polonis, quam à Germanis & Boëmis: qui itidem utuntur hujuſcemodi appellationibus. *In* enim præpoſitionem iis fere attribuunt, qui domini ſunt locorum: ceteras etiam iis, qui inde duntaxat orti vel oriundi ſunt, etiam ſi ibi non habeant ubi pedem figant. Gentilitiorum autem ſignorum, quæ quidem quærendo inveſtigare potuimus, appellationes hæ ſunt. In quibus enumerandis ordinem primarum literarum & vernaculæ linguæ ſonum ſervabimus. Abram ſive Valdorf: Amadei: Bialina: Biberſtein: Bodulia: Bohoria: Boitza: Brog: Bozeſtado: Buincia, ſive Buincza: Byliny: Ciolek: Copaczina: Comia: Cielantcoua:

coua: Coruitz ſive Bies: Choleua: Corſitz: Corab: Corciak ſive Corczak: Dambroua: Dambroua altera: Dembno: Doliva: Dolenga: Drzevicza: Druzina: Drija: Dzialoſſà: Godziemba: Goſdoua: Grabia: Griph, quod & Suieboda, Gryzima: Grzimala: Habdanc: Herburthovva: Helm: Ianina: Iaſtrzembiec: Ielita ſive Koſlarogi: Iednorozez: Iunoſſa: Korsboc: Kerdei: Labents: Lariſſa: Leliva: Liada: Levat ſive Leopardus: Lodzia: Lzavia: Lis, quod & Murza: Mozela: Morskicot: Mandroſtca: Nalẽcz: Nieſobia: Nieczuia: Novina: Oliva: Oſmarog: Odrovvanz: Oſtoia: Orlia: Olobog: Ouada: Oxa: Pilava: Pirzchala: Povalia ſive Ogon: Poboze: Pogonia: Polucoſia: Pravvda: Pomian: Przegina: Prus: Prus alterum, quod & Navilki: Proſnia: Rava: Radvan: Roza: Rogala: Ruchaba: Rolia: Scheliga: Slepovvron: Socolia: Servicaptur: Schilde: Staricon: Starza: quod & Oſloria: Strzemien: Strzegomia: Sternberg: Srenaua: Sulima: Svvirczek: Sirocomlia: Schumberg ſive Corſitza: Svvinca: Tarnava: Topor: Topacz: Trzaski: Tramby: Varnia: Vieniava: VVzelie: Vieruſloua: Venzik: Vadvva: Vierzinkovva: Zabavva: Zadora ſive Plomien: Zagrobia. Duorum nomina non tenemus. Ea ſunt albæ aquilæ, an-

terior

terior pars dimidia à capite cauda tenus, erecta, cum duabus ſtellis à tergo: & quinque roſæ albæ in quincuncem collocatæ. Vnde ſimul ex gente Iaſtrzembecia, ego maternum genus duco: Pater vero meus è Pirzchalia & Oſmarogia. Nihil autem vetat his noſtrum quoq; adjungere, quo me una cum fratribus meis, & omni poſteritate noſtra optimus rex Sigiſmundus Auguſtus ornavit, dimidiam aquilam, pectore tenus naturali colore, extenſis alis, laurea corolla circum collum redimitam in rubro ſcuto impartitus. Cui Ferdinandus Rom. Imp. electus immortali memoria digniſſimus, cum legatione apud eum ejuſdem regis nomine in ſeptimum annum fungerer, gentilitium Auſtriacæ familiæ ſuæ ſtemma, rubram in albo ſcuto teniam per tranſverſum ductam ſubdidit, & duo nigræ Imperialis aquilæ capita galeæ coronatæ ſuperpoſuit. Cur autem minus liceat cuipiam, à ſe prato, quam ab aliis relicto, decore gaudere? Et hactenns quidem de nominibus gentium Polonæ nobilitatis nobis dictum ſit. Signa, origines, familiaſque deſcribere, longum & operoſum eſſet, ne dicam infinitum. Antiquitus ſparſim nobilitas in agris habitat, in ſua quiſque villa, vel caſtello, vel arce, rem familiarem operis & laboribus adſcriptitiorum

ſuo-

ſuorum vel mercenariorum curans, & agricultura, gregum, armentorum, & apiariorum fructu, itemque venatione & aucupio, non modo ſuſtentans ſeſe cum domeſticis ſuis familiis, verumetiam honeſtas divitias comparans, vendendis iis quæ ſuperſunt uſui domeſtico, quęque deſunt, inde viciſſim comparandis. Matres autem familias, & puellas nobiles, lanificium, & linum, canabumque, & rem pecuariam tractantes non dedecet vendere ea, quæ ex hujuſmodi re familiari & fructibus ejus ſuperſunt uſui domeſtico. Quin & culinæ curam eæ gerunt, exceptis illuſtrioribus & ſenatoriis, quæ hæc pleraque dedignantur, aut pediſſequarum opera peragunt. Iter facientes, fœminæ quidem carpentis, vehiculis aut curribus vehuntur: Mares vero vel iiſdem, vel equis potius. Pedeſtrem incedere per viam, longiorem præſertim, minus honorificum vulgo habetur, niſi paupertas neceſſitatem imponat. Iam autem lautiores & elegantiores de nobilitate in urbibus domicilia figere, villis & ruſticis prædiis relictis, incipiunt. Prodeuntem in publicum nobilem virum juxta ac fœminam aſſeclis maribus, fœminam vero etiam puellis pediſſequis ſtipari, honorificum habetur. Et in eum uſum alit quiſque domi ſuæ famulitium

pro

pro modo facultatum: indeque ſimili figura & colore veſtium, non ſine ſumptu & luxu veſtiri uſitatum eſt. Aluntur & equi complures. Equitantem enim aut vehentem herum famuli honoratiores non niſi per urbem, vel ad ſuburbana, pedeſtres aſſectantur. Ac Senatores quidem primarii, pedeſtres juxta ac equeſtres, medii fere inter aſſeclas mares incedunt, honoratioribus antecedentibus, cætera vero turba cum pueris ſubſequente. In cætera nobilitate aſſeclæ omnes heros ſubſequuntur. Matronas autem & puellas nobiles mares quidem antecedunt, fœminæ ſubſequuntur, præter filias, & quę in filiarum loco habentur, & ſorores puellas, quæ ſecundum anteambulones proxime matrem vel ſororem præcedunt. Spectatur autem in famulis & pediſſequis cum uſus ad miniſteria, tum ſtatura, forma, elegantia & genus. Nec deeſt copia equeſtrium ac nobilium juvenum, qui vel ſtudio civilitatis, prudentiæque uſu rerum comparandæ incitati, vel tenuitate fortunarum adacti, vel præſidii contra vim potentiorum ſibi ſuiſque comparandi cauſa, non modo in magnatum & epiſcoporum, ſacerdotumque ac doctorum clientelas, verumetiam in parium, ac tenuiorum inferiorumque nonnunquam, eorum præſertim,

ſertim, qui magiſtratus gerunt, aut aliquo ſunt numero in aula principis, aut opibus,induſtria,eruditione gratiave populari valent, affectationem & miniſterium, parva,vel nulla mercede, à parentibus & propinquis traduntur, vel ipſi ſeſe addicunt: Duratq; ea ſervitus, quoad utrique, hero, inquam, & ſervo ſive clienti placet. Multi etiam de ditioribus neceſſariorum & amicorum liberos pio quodam & honeſto juventutis educandę ſtudio ultro ſibi in familiaritatem & miniſterium adſciſcunt. Ad eundem modũ & fœminæ fœminis famulantur. Nec pudendũ aut dedecori affine eſt genus hoc ſervitutis, ſed liberale & ſociabile: Nec rara eſt in eo viciſſitudo,ita ut eum quis habeat in miniſterio, cujus parentibus ipſe ſerviverit: Honeſtaque habetur hæc juventutis equeſtris educandæ ratio, æquabilitatem quandam etiam in inæqualibus fortunis continens: Et multos ex humili loco ac tenui fortuna, non modo ad mediocres, verumetiam ad ſummos nonnunquam honores,ampliſſimaſque facultates & opes,ipſorum virtus herorumque beneficentia provehit: idque maxime conciliandis luculentis conjugiis vel ſacerdotiis. Honeſtatis magna ſemper à nobilitate ratio habita eſt. Fraudem facere, promiſſum fallere, pe-

jerare,

jerare, mentiri, probroſum & infame ſemper habitum eſt, atque etiam nunc habetur, quamvis in majore, quam olim, habendi ſtudio & licentia. Quod ſi quid ejuſcemodi in probri loco cuiquam objiciatur, præſertim ab ejuſdem ordinis viro, non tam legibus & magiſtratuum judicio & auctoritate, quam ferro manuque vindicatur. Diſſimulare quidem probroſum habetur. Loci tamen ratio ducitur. Plebeiis minor eſt cura dignitatis, atque pompoſæ ambitionis, exceptis urbanis fœminis, quæ & ipſę bene cultæ & una aut altera pediſſequa comitatæ incedere ſtudent: Vita autem laborioſior & ſolicitior , tam mulierum, quam virorum, nullo fere ſexus diſcrimine, niſi quod fœminæ opificia non exercent, neque vecturam: neq; negotiandi gratia peregrinantur. Vicina tamen oppida intra fines regni adeunt, domique negotiantur. In judicio ſtandi jus non habent. In plebe autem numerantur, quicunque nobiles ſive equites non ſunt, ſive ſint agricolæ, olitores, apiarii & pecuarii, ſive opifices & operarii, ſive caupones, propolæ, vectores, & mercatores, & ſive in agris, quemadmodum ſuperius attigimus, pagis atq; vicis vitam degant, ſive in oppidis & urbibus. Ac urbes quidem & oppida à mercatoribus, opificibus

&

& propolis habitantur. Vici autem & pagi,& ſuburbana prædia,ab aratoribus, olitoribus, pecuariis & apiariis. Caupones vero, molitores, operarii, vectores, jumentorumque locatores, utrobique ſunt. Sunt autem aliquando meliore & liberiore conditione urbani & oppidani, quam agreſtes. Ac cenſum quidem annuum utrique dominis ſuis penſitant: verum agreſtes & vicani plerique omnes, operas præterea gratuitas ad colendos eorum agros, & alios uſus domeſticos, non ſolum manuarias verumetiam cum jumentis, ipſi, per ſe, vel per mercenarios & operarios ſuos præſtant. Nec alio cuiquam commigrare inconſulto domino licet: ita ut videantur eſſe glebæ adſcriptitii, nec multum à ſervis differant, præſertim ut nunc ſunt tempora. Cmiecie ſeu cmetones vulgo vocantur. His autem deteriore conditione hortulani, qui hortos colunt. Vtrique chlopi appellantur: Quam appellationem velut probroſam non fert nobilitas. Habent ſane in eos domini vitæ neciſque poteſtatem: præter eos, qui ab ineunte ætate literarum ſtudiis ſacrorumque miniſterio ſeſe addixerunt. In plebe urbana non deſunt, qui rem lautiorem per famulos & vicarios adminiſtrantes, & ipſi otio, honeſtioribus ſtudiis,

diis, vel delitiis vacant. Multi lautius & ſumptuoſius victitant: Atque inde creſcunt rerum pretia; & non pauci ex iis ad egeſtatem rediguntur. Et hactenus quidem de nobilitate & plebe. Iam de ſacro ſive eccleſiaſtico ordine. Quod ut planius fiat, de religionibus prius pauca attingamus. Chriſtianam religionem Polona gens, abjecto ſemel impio dæmonum cultu, ſexcentis amplius annis conſtanter retinet, religioſeque colit, hæreticarum novationum inſolens & impatiens ante noſtram ætatem. Nuper adeo noſtra memoria Lutherana primum, mox etiam Berengaria ſeu Calviniana labes à mercatoribus, & bonarum literarum ſtudioſis juvenibus, levitate animorum, & curioſo ſtudio novitatis inductis, peregre invecta, multorum animos infecit. Quod olim quoque de Huſſitica & Viclefica, extremis VVladiſlai Iagellionis regis, & primis filiorum ejus VVladiſlai & Cazimiri temporibus (cum horum juxta ac illius ætas comtemneretur,) uſu venire cœperat. Sed principum & epiſcoporum virtute, auctoritate, ſtudio, ac diligentia, cæterorumque procerum pietate, gravitate & conſtantia, malum altius radices agere permiſſum non eſt. Itaque retinuerunt ii tunc cum priſca religione etiam dignitatem

auctoritatemque ſuam,& rempublicam. Quæ qui nunc vivunt, utinam poſteris etiam ſuis relinquant. Iam autem non ſolum illæ,quas dudum memoravi, verumetiam Picardorum, Anabaptiſtarum, Arianorum, Pneumatomachorum, Tritheitarum, Photinianorum, Ebionitarum,Recutitorum, & neſcio quæ non peſtes, proh nefas, Poloniam, laxatis ſemel licentiæ habenis, agminatim invadunt,& prætextu,ſeu verius abuſu libertatis, præeuntibus nonnullis de nobilitate, ſibi quiſque religionis magiſter,atque adeo rex & lex,eſſe incipit.Sed hæc alibi prolixius deploravimus. Pruſſi aliquanto poſterius Chriſto nomina dedere: Citius autem & cupidius Lutheranum dogma amplexi ſunt, urbani præſertim, & qui ſunt Germanici ſanguinis, propter mercatorum & opificum Germanorum frequentiam & commercia, & lectionem librorum importatorum è Germania. Quum enim ea colluvies hominum quaſi ad pileum vocata, ſemel eccleſiaſticæ diſciplinæ jugum excuſſiſſet, à magiſtratibus ſive timore,ſive perverſa animi inductione, & ob jusiurandum præceptoribus ſuis in Germania datum, eodem inclinatis, non modo non repreſſa eſt, ſed magis etiam confirmatur & incitatur. Multi tamen adhuc

pia majorum inſtituta retinent, præſertim ubi magiſtratus officium ſuum faciunt, alienum non uſurpant. Maſovi tenaciores antiquæ religionis & pietatis, à profanis novationibus ferme abhorrent. Abhorrent etiam Ruſſi inprimis. Græcos autem hi ſequuntur, quos ab initio religionis magiſtros habuere, & cum iis à nobis, hoc eſt, à Romanæ & catholicæ eccleſię conſenſu, ſeſe per ſacrilegum ſchiſma præcidunt tanta pertinacia, ut nihil commune habere velint cum latinis. Sic enim nos appellant, qui in cultu divino publice latina lingua utimur, & cum ſapientiſſimis & ſanctiſſimis majoribus ipſorum, Græcorum juxta ac noſtris, ſummam Romani Pontificis dignitatem & auctoritatem in univerſo Chriſtianorum populorum cœtu agnoſcimus. Nec in multis præterea à nobis ii diſſentiunt: & quidem ritibus & inſtitutis eccleſiaſticis magis, quam dogmatibus religionis. Vulgata autem divortia, quamvis levi de cauſa. Plurimi tamen ex iis, ex quo tempore Polonorum ditione tenentur, ad nos & Romanæ eccleſiæ ſocietatem & inſtituta tranſierunt, eodemque cum cęteris Polonis jure ſunt. Armeni oppida quædam Ruſſiæ Podoliæque incolentes, ſuis & ipſi ritibus ſuaque lingua in ſacris utuntur. Non abhorrent ii tamen, ſicut

accepimus à Romana eccleſia & Romano pontifice: Quin principatum ejus in univerſa Chriſti eccleſia agnoſcunt. Hebræi vero, quibus aliunde pulſis, Ruſſiæ & Lithuaniæ, ac totius fere Poloniæ oppida referta ſunt, ſuam retinent religionem: niſi forte ſuperſtitio vel impietas ea potius dici debet. Feruntur etiam Tartari Ceremiſſi in uno aut altero oppido Podoliæ ſuis uti ritibus & impietate Mahometana, quemadmodum & Lithuanici. Quorum in delubro apud Trocos nihil præter pileum turbinatum, qualibus vulgo ea gens utitur, in ſuggeſto editiore poſitum, ante multos annos aſpeximus. Sed mittamus barbaros incolas, cum falſis ſuis religionibus, & ad inſtitutum noſtrum revertamur. Tam apud Ruſſos igitur, & Armenos, quam apud Polonos, qui Chriſti Dei ac magiſtri noſtri inſtitutis convenienter pietatem colunt antiquitus, certus eſt ordo eorum hominum, qui religioni ſacriſque peculiariter moderantur & inſerviunt, non genere, ſed eorum, penes quos ejus rei poteſtas eſt antiquitus, & jam inde ab temporibus Apoſtolicis (Epiſcoporum inquam) auctoritate, ſegregatione, & initiatione ſive conſecratione, à cætera omni multitudine diſtinctus: quem ſacrum & eccleſiaſticum & ſpi-

ſpiritualem dici ſupra memoravimus. In quo non modo epiſcopi & ſacerdotes, verumetiam cæteri ſacrorum adminiſtri, & monachi monachæque cenſentur, è plebeio juxta ac equeſtri ordine allecti. Vtriſque enim antiquitus jam inde ab initio patuit aditus ad hunc ordinem. Patrum demum aut avorum noſtrorum memoria ab epiſcopalibus non tam functionibus quam ſedibus, & primariis quarundam opulentiorum baſilicarum, ſive eccleſiarum, ut vulgo vocant, cathedralium honoribus, quæ prælaturæ & canonicatus dicuntur, plebeii (theologis, jureconſultis, & medicis aliquot exceptis) excludi cœpere. Quod jam ad Abbatias quoque & monaſteria (ubi ex profeſſo mundana omnia abdicantur) inducitur. Secernitur etiam ſacer ordo veſtitu & cultu corporis à cætera multitudine: Sed & inter ſe non modo à cæteris ſacerdotibus epiſcopi, & ab utriſque monachi, verumetiam ipſæ inter ſe monachorum & monacharum ſectæ, partim figura, partim colore veſtium, partim toto vitæ inſtituto diſtinguuntur. Quæ quoniam communia ſunt Polonis cum cæteris Chriſtianis populis, perſequi hic prolixius neceſſe non eſt. Proinde diſtinctis ordinibus, reliquam rei familiaris Polonicæ rationem

paucis concludamus. In magna rerum omnium copia,ut fit, major aliquanto fuit ſuperioribus temporibus, quam nunc eſt,argenti & auri,reique numariæ penuria, præſertim cum auri & argenti metalla nulla extarent,& minus nota eſſent noſtris majoribus tranſmarina mercimonia. Neque proprium habebant numum Poloni, ſed externis & maxime Boëmicis uſi ſunt aliquandiu. Cœpit deinde ante ducentos, ni fallor, annos à Cazimiro magno rege æs & argentum ſignari ad exemplum Boëmorum. Aureos vero numos primus omnium Sigiſmundus rex hujus Sigiſmundi Auguſti pater noſtra memoria ſignavit, bonitate & pondere Vngaricorum. Tametſi Alexandri quoque fratris ejus aureum numum vidimus. Sic autem crevit jam auri pretium, ut pro duplo carior nunc ſit aureus numus, quam fuit avorum noſtrorum memoria. Id adeo, partim propter luxum, & crebriorem auri uſum, exportationemque ad exteros, partim quia deterior nunc eſſe fertur reliqua moneta, cum ponderis diminutione, tum æris admixtione. Eſt autem ea multiplex. Ac groſſus quidem argenteum numiſma eſt cum admixto ære, olim viceſima octava, nunc, quinquageſima ſecunda vel tertia, imo jam quarta
&

& quinta pars aurei Vngarici, ſexagenæ ſive copæ ſexageſima, marcæ quadrageſima octava, floreni triceſima, fertonis duodecima, ſcoti vero dimidia. Sic vulgo dicuntur pondera ſive genera, quibus pecuniam numeramus & computamus. Sunt & minores groſſo numi. Medians quidem groſſi dimidium, nona fere parte ſuperans cruciatum Germanicum: Sed jam exæquatus. Solidus tertia pars groſſi, ternarius ſexta, obolus verò decima octava. Atque hi quidem nunc ærei ſunt inalbati: Superiori tempore habuerunt admixtum argentum, ut etiamnunc habent groſſi & mediantes. Argentei vero ſunt trigroſſus ac ſegroſſus, hic quidem ſex, ille vero tribus groſſis æſtimatione par. Vtrumque primus ſignavit Rex Sigiſmundus ſenior. Sed jam pauci extant. Exportantur enim, & conflantur ab avaris Iudæis, mercatoribus, & argentariis apud gentes finitimas. Permagnus eſt autem etiamnunc apud nos uſus externæ monetæ, quæ pro mercibus undelibet importatur. Magna ſunt enim nunc, ſi unquam alias, Polonis variarum rerum cum cæteris gentibus commercia: quanquam commutatione mercium permulta peraguntur. Exportantur autem inprimis, ſiligo, triticum, ordeum, avena,

& alia legumina, linum, lupulus, coria boum, ſebum, alutæ, mel, cera, ſuccinum, pix, cinis, mali, aſſeres, cæteraque materies fabricandis navibus & ornandis domibus apta: Cerevifia quoque & herba quædam tingendis lanæ & ſerico idonea. Iam vero & boum, vervecum & equorum permagna vis non modo finitimis, verumetiam remotioribus populis ſuppeditatur. Ac equi partim propter pernicitatem & laboris incommodorumque tolerantiam, partim propter molliorem inceſſum à remotioribus etiam populis expetuntur. Importantur autem viciſſim aliunde panni, non modo ſericei & aurei, ſed etiam lanei lineiq; ſubtiliores, aulæa, tapetes, & alia parietum, equorum & hominum ornamenta, quorum opificia minus exquiſita ſunt apud Polonos, licet non deſit materia, & aliis gentibus ſuppeditetur. Margaritę item & gemmę, & pelles ſabellinę, pantherinæ, ſive lupicervariæ, hermellinæ, mardurinæ, murium ponticorum, vulpinæ, lupinæ, urſinæ, & aliarum ferarum, quarum majorem copiam producunt interiores ſeptentrionis orientiſq; ſylvæ. Huſiones quoque ſive mariani, & haleces, & alia ſalſamenta, & vento vel ſole durati piſces marini. Adhæc argentum, æs, orichalcum, & calybs, cum facta,

facta, tum infecta. Boum etiam copiam auget uber paſcuis Valachia, ſive Moldavia,& Beſſaria: ſicut equorum Vngaria. Vina plurima ex eadem Vngaria & Moravia: Ex Auſtria, Rhetia, Slavonia, Italia, Creta, & Græcia, Importantur etiam,ſed pauciora. Gdanum autem, Renenſe, & Gallicum, & Hiſpanienſe, Canarienſe quoque & Creticum navibus advehitur. Porro aromata, & varia eduliorum condimenta atque cupediæ, quæ una cum vino, & pannis aureis ac ſericeis, gentem hanc atque regnum vehementer exhauriunt,de longe ab oriente & occidente importantur. Harum autem rerum atque mercium exportandarum & importandarum commercia ſunt Polonis, maritima quidem cum accolis ſinus Venedici & Oceani Germanici, Pomeranis, Mechelburgenſibus, Holſaciis, Danis, Friſiis,Hollandis, Brabantis & aliis Belgis, Gallis, Livonibus, Moſchis, Sueonibus ſive Suetis, Norvegiis,Anglis,Scotis, Hiſpanis etiam & Luſitanis. Itemque per Pontum Euxinum cum gentibus Turcicæ ditionis: Terreſtria vero cum Germanis, Moravis,Sileſiis, Boëmis, Vngaris, Italis,Moldavis, Moſchis, Armenis, atque Turcis. Sed jam hunc librum claudamus, altero Reipublicæ Polonæ rationem deſcripturi.

Ac primum quidem de Magiſtratibus & muneribus publicis perſequemur: deinde vero judiciorum, comitiorum & belli rationem explicabimus: ſic tamen, utrobique ut Pruſſos ad calcem operis vitandæ perplexitatis cauſa reſervemus.

POLONIA MARTINI CROMERI.

LIBER ALTER.

De Republica & Magiſtratibus Polonorum.

DE tribus primis & ſimplicibus rerumpublicarum formis, quæ vel unius, vel paucorum imperio, vel multorum omniumve quadam æquabilitate juris continentur, unius principatum Poloni ſemper, præter duo quædam tempora, de quibus in hiſtoria memoravimus, amplexi ſunt, bonis plerunque & moderatis, & á tyrannide alienis uſi principibus. Fuitque contenta Polonia Principis ſive ducis nomine, & imperio, donec Otto III ejus nominis Imperator Romanus Boleſlaum cognomento Chrobrum (Chrabrum vulgo vocant) paulo poſt ſuſceptam religionem Chriſtianam, hoc eſt, anno poſt Chriſtum

ſtum natum milleſimo & primo, regio diademate & honore dignatus eſt. Nec tamen ultra quartum regem tunc is honos manſit apud hanc gentem. Nam poſt alterum Boleſlaum, prioris illius pronepotem, ducentis amplius annis, Principes Polonorum regio nomine abſtinuerunt. Deinde vero anno Chriſti 1295 revocatum & renovatum id in Prę-miſlo, manet in hanc diem: Et quidem ad externos plerunque liberis liberi populi ſuffragiis delatum, cum antea Poloni externum principem non habuiſſent: Ac neque ex alia familia per quadringentos amplius annos, quam ex ea, quæ à Biaſto duxit originem. A centum & amplius octoginta annis regnavit perpetua ſucceſſione Iagellonia magnorum ducum Lithuaniæ progenies. Non hæreditario tamen, ſed electionis jure. Fuit autem initio liberior dominatus principis, & nullis propemodum legibus adſtrictus, infinitam non modo omnium rerum, ſed etiam vitæ neciſque omnium poteſtatem habens. Poſt ſuſceptam vero publice religionem Chriſtianam, temperari ea cœpit primum piis monitis atque doctrina epiſcoporum & ſacerdotum, (quorum permagna erat dignatio & auctoritas in rudi etiam tum & literarum experti populo,) ac cæterorum

Chri-

Chriſtianorum populorum imitatione & moribus. Deinde vero bellatricis nobilitatis meritis & obſequiis, fortaſſis autem & contentionibus, multa de ſuo jure remittentibus & indulgentibus equeſtri ordini regibus & principibus. Nunc ſane anguſtis finibus regia poteſtas in ſacrum & equeſtrem ordinem, & utrique ſubjectos homines atque bona, circumſcripta eſt. Ac in ſacerdotes quidem jam inde ab initio ſuſceptæ religionis Chriſtianæ rex nihil prorſus juris habet. De equitis vero capite & fama, non niſi in comitiis cum Senatu judicat, certis aliquot cauſis exceptis. Senatu autem inconſulto, neque bellum cuiquam facit, neque fœdus publice cum quoquam icit, neque tributa, vectigalia, ac telonia nova inſtituit, neque alienat quicquam de bonis regni, neque rem ullam majorem ad rempublicam pertinentem ſtatuit aut facit. Porro leges novas condere, pecuniam extra ordinem publice imperare, monetam ſignare, ſucceſſorem ſibi deſignare, ne cum Senatu quidem poteſt abſque conſenſu cæteræ nobilitatis, ſive equeſtris & militaris ordinis: De quo fere magiſtratus etiam publici & Senatores leguntur: ita ut penes eum ordinem nunc ſit propemodum ſumma reipublicæ. Itaque nunc regnum

& reſ-

& reſpublica Polonorum à veteri Lacedæmoniorum, vel hujus temporis Venetorum, reipublicæ ratione non multum differt. Ius creandi regis penes Senatum eſt, de quo paulo poſt dicemus. Atque id etiam equeſter ordo ſibi vendicare cœpit, ita ut tum demum in eo ratum ſit ſenatus judicium, ſi aſſentiatur cætera nobilitas. Non temere tamen diſceditur à ſtirpe regia maſcula, ſi qua extat. A novo rege juſiurandum exigitur in hanc ſententiam, Quod ſecundum leges & inſtituta majorum regnaturus ſit,& ſuum cuique ordini & homini jus privilegiumq; & beneficium à prioribus regibus collatum, ſalvum conſervaturus, neque de regni finibus & bonis quicquam diminuturus, quin amiſſa etiam ab aliis pro virili ſua recuperaturus. Viciſſim autem ſenatus omnis in verba ejus jurat. Inauguratur autem (ſi tamen hoc verbo uti fas eſt) olim quidem in Gneſnenſi, nunc vero in Cracovienſi baſilica, ritu ſolenni Chriſtianorum, ab archiepiſcopo Gneſnenſi ſacris operante, ac duobus proximis epiſcopis: unctuſque inter ſcapulas ſacro oleo ante aram maximam, ubi etiam ſacroſanctam Euchariſtiam venerabundus accipit, & corona aurea redimitus, accepto in dextram ſceptro & in levam pomo aureis, in edi-

editiore ſolio ex tempore præparato collocatur, omnibuſq; rite peractis coronatus in regiam reducitur. Poſtridie pompa itidem ſolenni coronatus in forum urbis equo vehitur, ſenatoribus equeſtribus, epiſcopis quidem pone ſequentibus, profanis vero antecedentibus longo ordine. E quibus tres primores pomum, ſceptrum & ſtrictum gladium proxime ei præferunt. Ibi erectum ex tempore tabulatum ſublime cum iis pedeſter conſcendit, & in editiori ſolio collocatur. Sedentem ſenatus paulo inferior ordine circumſidet. Deinde aſſurgens ille, verſus quatuor mundi partes gladium vibrat, rurſumque reſidens, ejus contactu ſive leni ictu inter ſcapulas cujuſque, nobiles & equites auratos creat: quod perinde eſt, ac ſi baltheo militari donet. Vrbani autem & oppidani magiſtratus in verba novi regis jurant. Inde rite peractis omnibus, in arcem cum eadem pompa reditur, & feſtis epulis indulgetur. Nec multo diverſa eſt reginæ inauguratio: quæ fit præſente, deducente, & poſtulante pro ea rege. Deducit autem eam coronatam etiam ad forum rex ipſe quoque coronatus cum ſimili pompa. Sed non juratur in verba reginæ, nec ei defertur ulla poteſtas aut juriſdictio. Vectigalia Principis aliquanto luculentiora

& ampliora olim fuere, quam nunc ſunt. Penſitabant enim ei omnes agreſtes & adſcriptitii quotannis tributum poradline, quod nos raſtrale dicere poſſumus, (regale etiam vocatur) in jugerum, ſeu laneum & manſum, ut vulgo vocant, duodenos groſſos, & quidem latos ſive Pragenſes: qui dimidio eos, qui nunc ſunt in uſu, groſſos vernaculos excedunt. Quin ſi bonitatem & pondus argenti ſpectes, quadruplo, quemadmodũ earum rerum periti affirmant, melior tunc erat groſſus quam nunc eſt. Penſitabant & alias quaſdam cum numarias, tum pecuarias, frumentarias, avenarias, & aliarum rerum penſiones: Nec modo agricolæ, ſed & oppidani: Quin & equites ſive milites non penitus immunes erant. Et jumenta autem hi ei, quacunque iter faciebat alii ſecundum alios ſuppeditabant, & canes cum venatoribus ejus alere neceſſe habebant. Ne monaſtica quidem & alia eccleſiaſtica bona initio prorſus erant libera ab hujuſmodi oneribus ac tributis: quorum appellationes videre licet in vetuſtis principũ diplomatis: Nempe Przevvod, Povvos, Stoza, Stan, Povvolove, Targove, Crova, Podvvodii, Voginia, Narzaſ, Sep, Podvvorovve, Opolie. Liberæ autem principi erant ubique piſcationes atque venationes: Aliis non erant, ne in

ne in ſuo quidem cuiquam fundo, abſque peculiari principis indulgentia. Mulctæ quoque maleficiorum principi dependebantur. Quæ cum ita eſſent, cumque permagna eſſet rerum omnium ad victum pertinentium vilitas, & necdum maritima cum externis populis commercia extitiſſent, aut vulgata eſſent, non diſtrahebantur fruges, & alii fructus prædiorum principis, quæq; expenſionibus in cellam ejus comportata erant, neque ad unũ aliquem totius regni locum (quod non ſine gravi agreſtium preſſura futurum erat) convehebantur: ſed in prœfecturis aſſervabantur. Cumq; ad officium principis pertinere exiſtimaretur, non deſidem & uni alicui loco affixum hærere, ſed obire omne regnum, & fines ejus tueri, & omnium uſibus ſeſe exponere, querimonias afflictorum audire, jus dicere, tenuiores à potentiorum injuriis vindicare, quoquo is venerat cum equitatu & comitatu ſuo aulico, ejus præfecturæ fructibus & proventibus alebatur, quoad ei manere ibi libuiſſet, opuſve eſſet, ſive quoad horrea cellæque ſufficerent, ſeu denique deſcriptis cuique præfecto, pro ratione præfecturæ & proventuum, certis temporum ſpatiis. Atq; hoc illud eſt, quod ſcriptores quidam externi rerum Polonicarum imperiti

ante

ante noſtram memoriam in eam partem acceperunt, & literis mandarunt, quaſi rex Polonus egeſtatis cauſa regnum ſuum obire perpetuo neceſſe habeat, quo à ſuis hominibus quaſi precario ſuſtentetur. Cæterum poſtea cum principes vel certo ſe loco continere, vel bellis diſtenti peregre diutius abeſſe cœpiſſent, diſtrahi cœpere fructus prædiorum, qui præfectorum cum ſua cujúſque familia moderatis uſibus ſupereſſent. Remiſſæ ſunt deinde principum beneficentia ſacro equeſtri ordini, & utriuſque adſcriptitiis & ſubditis pleræque omnes penſiones & onera. Nunc ſane equeſtris & eccleſiaſtici ordinis homines nihil regi penſitare neceſſe habent. Ac ne oppidani quidem eorum, aut agreſtes adſcriptitii, præter binos groſſos vernaculos de manſo, ſive laneo (quæ idem ſunt) pagano, & eo quidem ſolo, quem adſcriptitius ipſe ſibi colit. Nam qui ſacerdotibus & equitibus coluntur, itemque ſuburbani & ſcultetorum (de quibus poſt attingemus) agri ab ea quoque penſione immunes ſunt. Ne ſubſerviunt quidem principi ſacerdotum & equitum homines agreſtes & oppidani, præterquam ad arces tempore belli reficiendas, atque etiam novas, ſi id è ſenatuſconſulto fiat, condendas. Non ita pridem abbates &

Præpoſiti monaſteriorum certas penſiones, quæ Stationes vulgo dicuntur, regi denuo penſitare cœperunt. Adſcriptitii quoque ipſorum ad colendos principi agros, ſubvectiones, & penſiones quaſdam frumentarias revocantur, quo præfectorum regiorum præſidio tutiores ſint ab injuriis improborum. His autem exceptis ſoli præfecturarum adſcriptitii, in ſuis quique præfecturis agros colendo, & vectigalia penſitando rem familiarem principis ſuſtinent: Quæ nunc tamen aliquanto exquiſitius curatur, quam olim. Habet is etiam è metallis mediocre vectigal. In iis autem conductitiarum operarum uſus eſt: Quarum impenſa deducta, reliquum cedit principi. Omnium vero metallorum in Polonia fructuoſiſſimæ ſunt ſalinæ. Sed habet in iis equeſter ordo hanc prærogativam, ut in uſum ſuum domeſticum, ſtatis anni temporibus aliquanto minoris emat ſalem quam cæteri homines. E teloniis quoque mercium & vectorum provenit vectigal principi. Cæterorum hominum nemo jus ullum habet inſtituendi & exigendi telonii, præter peculiarem regis indulgentiam: idque ob neceſſariam extra ordinem refectionem viarum, pontium, & aggerum. Cæterum naulum à trajectu fluminum in ſuo cuique ſolo

inſtituere licet. Duplex autem eſt telonium: vetus & novum. Ac vetus quidem exile eſt, quod ab iis penditur, qui intra fines regni negotiantur. Novum vero majus aliquanto, quod boum, equorum, coriorum, frumenti, lanę, ceræ, ſebi, & aliarum mercium, quæ ad exteras oras exportantur, & earum, quæ aliunde importantur, nomine penſitatur. Vtriuſque immunitatem habent eccleſiaſticus & equeſter ordo, modo ne mercaturam quis exerceat, hoc eſt, venum ea exportet, quæ ipſe aliunde emerit, ac non de ſuo pararit. Si quis tamen boves emptos ſuo pabulo & frumento per hyemem aluerit, perinde habetur, ac ſi domi ejus nati ſint. Publicæ quoque civitates nonnullę habent immunitatẽ veteris telonii. De novo fuit ſuperiori tempore controverſia inter equeſtrem ordinem atq; regem. Hęc igitur nunc ſunt perpetua principis vectigalia: Quæ diſtrahere, aut addicere cuipiam jure hæreditario, rex Alexandri regis lege prohibetur. Atque ea lex neglecta poſt, & ante paucos annos acerbius revocata, multos conturbavit, & non exiguos motus excitavit: qui nondum prorſus ſopiti ſunt. Extra ordinem nihil à quoquam, niſi forte à Iudęis, regi penſitatur. Ex his autem vectigalibus is cum domeſtica familia ſua ſeſe

ſuſtentat: inde comitatui ſuo aulico ſtipendia præbet: inde in legationes, dotes, & elocationes filiarum, arcium præſidia & ſartatecta, viarum publicarum refectiones, machinas & apparatum bellorum, præmia bene merentium de ſe ac republica, & in alios uſus impendit: Inde & ſenatoribus fere, ac magiſtratibus publicis, & nonnullis ſacerdotiis certi ac perpetui reditus antiquitus conſtituti ſunt, partim pietate & beneficentia principum attributi, partim accepto in uſus neceſſarios pretio venditi. Et hactenus quidem de principe ſive rege ac vectigalibus ejus. Iam de legibus. Legum ſcriptarum nullus fuit uſus apud Polonos vetuſtioribus temporibus: Nec ullæ extant antiquiores iis, quas Cazimirus magnus rex condidit: Quæ ſane pauculæ ſunt. Nec multæ iis à filiis ejus Ioanne Alberto & Alexandro adjectæ ſunt. Extremis demum fere temporibus Sigiſmundi ſenioris, & regnante filio ejus Sigiſmundo Auguſto, magis ac magis exarſit & longius progreſſus eſt pruritus & libido novarum legum condendarum, & antiquiorum mutandarum. Quo fit, ut hæ propemodum exoleſcant, novæ autem vix, aut ne vix quidem inoleſcant. ſed utræque, hæ quidem novitate, illæ vero vetuſtate ſua, in contemptum vulgo ve-

go veniant, maxima reipublicæ pernicie. Earum autem condendarum poteſtas eſt ſimul penes regem, ſenatum, & nuncios nobilitatis; nec niſi in comitiis. Statuta regni vocantur. Priſcis temporibus viva lex erat Rex ſive princeps: Qui cum unus in tam amplo regno omnia neque præſtare, neque providere, ac ne judiciorum quidem difficultates recte explicare poſſe videretur, & lubricus autem proclivisque ad tyrannidem gradus in ſumma poteſtate eſſe ſoleat, adhibiti ſunt ei Senatores ſive Conſiliarii, qui & conſilia actioneſque ejus ad ſalutem reipublicæ, & judicia ad juſtitiæ & æquitatis trutinam dirigerent, & monitis conſiliiſque ſalubribus, quaſi vivis quibuſdam legibus, pro re nata cum animum ejus informarent, tum poteſtatem modificarentur. Hic eſt Senatus Regius, multo amplior modo, quam olim, certo hominum numero conſtans, quos Senatores & Conſiliarios regni appellamus. Qui non niſi jurati ad hoc collegium & ad conſilium admittuntur. Et perpetuum eſt hoc munus quoad vivit quiſque, certis annexum honoribus & magiſtratibus, partim eccleſiaſticis, partim profanis. Sunt autem in Senatu antiquitus Archiepiſcopi duo, ſeptem Epiſcopi, Palatini quindecim, Caſtellani

quinque & ſexaginta. Archiepiſcopi ſunt, Gneſnenſis in majore Polonia, Leopolienſis in Ruſſia. Epiſcopi vero ſunt, Cracovienſis in minore, Poſnanienſis in majore Polonia: VVladiſlavienſis in Cuiavia & Pomerania, qui tamen jam à certo tempore Poſnanienſem loco anteit: Plocenſis in Maſovia: In Ruſſia Præmiſlienſis & Chelmenſis: Camenenſis in Podolia. Qui omnes, quo ordine nunc à nobis enumerati ſunt, eum perpetuo ſervant in ſenatu dicendaque ſententia, & in publicis celebritatibus. De Pruſſicis ſuo loco dicemus. Sunt quidem præterea tres Ruſſici & Græci ſchiſmatis epiſcopi in Ruſſia, quos ipſi Ruſſi VVladicas vocant, nimirum Leopolienſis, Præmiſlienſis, & Chelmenſis: qui una cum ſectatoribus ſuis, & aliis Ruſſicis itidem epiſcopis, qui ſunt in ditione Lithuanica, à Kiovienſi metropolita, & à Patriarcha Conſtantinopolitano, quod ad religionem & initiationes attinet, dependent. Habent & Armeni ſuum epiſcopum. Sed neque hic neque Ruſſici pertinent ad regium conſilium. Superioribus ſeculis, cum latius paterent verſus occidentem ſolem fines Poloniæ, VVratiſlavienſis quoque & Lubuſſenſis epiſcopi, & Camenenſis in ſenatu ſua loca habebant: Atque etiam nunc duo prio-

res

res in provincia Gneſnenſi cenſentur. Et noſtra memoria habuit uterq; certa bona in Polonia. Nunc Camenenſis epiſcopatus in ducum Pomeraniæ, Lubuſſenſis in Marchionum Brandeburgenſium faucibus, VVratiſlavienſis in regum Boëmiæ ditione eſt. Secundum epiſcopos in Senatu ſunt Palatini hoc ordine: Cracovienſis & Poſnanienſis, alternis vicibus inter ſe priora & poſteriora habentes loca & ſuffragia: Deinde Sendomirienſis, Caliſſienſis, Siradienſis, Lencicienſis, Breſtenſis, VVladiſlavienſis, ſive Iunivvladiſlavienſis, Leopolienſis ſive Ruſſiæ, Podoliæ, Lublinenſis, Belſenſis, Plocenſis, Maſoviæ, & Ravenſis. Caſtellani, Cracovienſis, Voinicienſis, Sandecenſis, & Biecenſis in ſatrapia ſive Palatinatu Cracovienſi: Poſnanienſis, Medirecenſis, Rogoſnenſis, Sremenſis, Præmentenſis, Crivinenſis, & Santocenſis in Poſnanienſi: Sendomirienſis, Viſlicienſis, Radomienſis, Zavichoſtenſis, Zarnovienſis, Malogoſtenſis, Polanecenſis, Cechovienſis in Sendomirienſi: Caliſſienſis, Gneſnenſis, Landenſis, Naclenſis, Biechovienſis, Camenenſis in Caliſſienſi: Siradienſis, Roſpirenſis, Spicimirienſis, Velunenſis & Conarienſis in Siradienſi: Lencicienſis,, Brezinenſis, Inovvlodenſis, & Conarienſis alius in Lencicienſi:

In Breſtenſi, Breſtenſis, Cruſuicienſis & Covalienſis: In Iunivvladiſlavienſi Iunivvladiſlavienſis, Bydgoſtienſis, & Conarienſis item alius: itemque Dobrinenſis, Ripinenſis, & Slonnenſis in terra Dobrinenſi: In Ruſſia Leopolienſis, Præmiſlienſis, Halicienſis, Sanocenſis & Chelmenſis: In Podolia unicus Camenecenſis: In Lublinenſi item Lublinenſis: In Belſenſi Belſenſis: In Plocenſi Plocenſis, Racianzenſis & Sieperoenſis: In Maſovia Cyrnenſis, Viznenſis, Varſavienſis, Viſlegradenſis, Zacrocimenſis, Ciechanonienſis & Livenſis: In Ravenſi Ravenſis, Sochaciovienſis, & Goſtinenſis: In Sileſia unus Oſuincimenſis: Palatinum ea non habet. Ex his Caſtellanis qui primi in unaquaque ſatrapia modo à nobis enumerati ſunt, eum inter ſe ſervant ordinem, quo palatinos recenſuimus, excepto Cracovienſi, qui ex quodam tempore palatinos omnes loco ſuffragioque anteit. Voinicienſis item & huic proximus Gneſnenſis prærogativa quadam inter Caliſſienſem & Siradienſem Caſtellanos interjecti ſunt. Cæterorum hic eſſe legitimus ordo exiſtimatur, ut Ravenſi, qui ſuperiorum extremus eſt, proximus ſit Sandecenſis: deinde Medirecenſis, Viſlicienſis, Biecenſis, Rogoſnenſis, Radomienſis, Zavichoſtenſis,

Lan-

Landenſis, Sremenſis, Zarnovienſis, Malogoſtenſis, Velunéſis, Premiſlienſis, Halicienſis, Sanocenſis, Cheimenſis, Dobrinenſis, Polanecenſis, Prementenſis, Crivinenſis, Cechovienſis, Naclenſis, Roſpirenſis, Biechovienſis, Oſuencimenſis, Brezinenſis, Cruſuicienſis, Bydgoſtienſis, Camenenſis, Spicimirienſis, Inovvlodenſis, Covalienſis, Santocenſis, Sochaciovienſis, Goſtinenſis, Viznenſis, Varſavienſis, Racianzenſis, Siepercenſis, Viſlegrodenſis, Ripinenſis, Zacrocimenſis, Ciechanovienſis, Livenſis, Slonenſis: extremi tres Conarienſes: In quibus primum locum is, qui eſt in Siradienſi ſatrapia, medium qui in Lencicienſi, ultimum qui in Inovvladiſlavienſi, obtinet. Sunt item in Senatu Magiſtratus quidam & adminiſtri principis, quos officiales regni vocant: Nempe Mareſcalcus, qui magnus dicitur Cancellarius, Procancellarius ſive Vicecancellarius, ac Theſaurarius. Eſt etiam unus de magiſtratibus aulicis, ſed curiæ principis, Mareſcalcus curiæ. Putantur etiem duo præfecti ſeu Capitanei, nempe majoris Poloniæ, & Cracovienſis, ad conſilium pertinere. Sed perraro uſu venit ut ii non aliquo alio honore Senatorio præditi ſint. Horum autem omnium magiſtratuum loca & ſuffragia in conſilio ſunt

ſecundum Caſtellanos eo, quo hic à nobis conſcripti ſunt, ordine. Niſi ſi quo alio eminentiori honore ii cohoneſtentur: Quod fit plerunque. Hoc igitur eſt conſilium publicum apud Polonos, & Senatus regius ſive regni, ſex & nonaginta conſiliariis conſtans: Quorum alii vocantur majores, alii minores conſiliarii. Sunt autem majores Archiepiſcopi, Epiſcopi, Palatini, primarii aliquot ſatrapiarum Caſtellani uſque ad Siradienſem fortaſſis: Cæteri omnes minores: qui poſterius in conſilium adhiberi cœperunt: & excluduntur nonnunquam à conſiliis ſecretioribus. In hoc ſenatu cenſentur etiam Pruſſici conſiliarii. Verum de his & omni republica Pruſſica ſeparatim poſterius perſequemur. Acceſſere nuper (poſteaquam hæc nos conſcripſimus) & Lithuanici, cum antiqui, tum quos Sigiſmundus Auguſtus Rex ad numerum eorum adjecit. Eos quoque alii loco reſervabimus. Porro Secretarii admittuntur quidem & ipſi jurati in Senatum, ſed, ut auditores modo, & quaſi ſeminarium quoddam ſenatus: Neque locum habent in conſeſſu conſiliariorum, neque dictionem ſententiæ. Ex his autem unus primi ſive majoris Secretarii nomen & honorem obtinet, de quo plura paulo poſt: Duo referendarii

darii ſive ſupplicum libellorum magiſtri ſunt. Putantur & ſuccamerarii aditum habere ad locum habendi ſenatus, claudendi & aperiendi oſtii cauſa, idque in ſuo tantum quiſque territorio. Iam & Senatorum, primariorum præſertim, filios adoleſcentes admitti in Senatum, non inuſitatum eſt. Quanquam ſolent & ii ſacramento adigi in numero ſecretariorum, quo liberius interſint conſiliis. Convocantur autem Senatores à principe ad conſilium, præſentes quidem quoties opus eſt: qui vero longius abſunt, non niſi arduis de cauſis, utpote ad comitia, vel celebritatis alicujus gratia, nimirum ad nuptias principis, ſeu liberorum ejus, aut ſi quis ſocius & obnoxius regno dux in verba principis juraturus ſit. Cum iis vero, qui adſunt, princeps pro re nata conſultat. Niſi forte res gravior ac difficilior incidat, quæ plurium conſilio & conſenſu ſit explicanda, velut de indicendis comitiis. Tunc enim abſentes ſinguli per epiſtolas regias conſuluntur, majores præſertim. Atque hæc de genere, numero, ordine & officio ſenatorum ſive conſiliariorum regni ſuffecerint, ſi unum illud addiderimus, quod ſubſerviunt ii quoque principi & reipublicæ quoties opus eſt; domi quidem in judi-

judiciis cum aliis, tum recuperatoriis, quas commiſſiones vulgo vocamus; foris autem in legationibus obeundis, aut ſi quid aliud publice cum dignitate peragendum eſt. Cum autem ii certis magiſtratibus & honoribus præditi ſint, habent etiam præter commune ſenatorium munus, curamque totius reipublicæ, peculiaria officia pro diverſitate magiſtratuum ſive honorum attributa. Ac archiepiſcopi quidem & epiſcopi officia quæ ſint, nemini Chriſtiano incognitum eſt: Nec ullum ii peculiare habent in Polonia, præ cæteris nationibus: Niſi quod Archiepiſcopus Gneſnenſis perpetua quadam Pontificis Maximi legatione fungitur, & legatus natus ſedis apoſtolicæ appellatur. Quo nomine ampliorem habet jurisdictionem: de qua ſuo loco attingemus. Habet etiam primatis honorem ab eadem ſede apoſtolica, abſque eo, quod antiquo gentis inſtituto & prærogativa primas regni, & princeps ſenatus. Proinde penes eum eſt poteſtas indicendi comitia, convocandi ſenatum, ſenatuſque conſulta definiendi & edicendi, abſente rege, & regno vacante. Sed nos inſtitutum noſtrum perſequamur. Palatini munera ſunt, eſſe ductorem copiarum ſuæ ſatrapiæ in expeditionibus bellicis: indeque nomen

habet

habet lingua vernacula, ut Voieuoda dicatur, quaſi dux belli, ſive copiarum. Palatinus autem dicitur Romanorum imitatione, apud quos ſub imperatoribus non obſcurum erat nomen honoſque comitum palatinorum. Porro in pace Palatini eſt, in ſua cujuſque ſatrapia conventus nobilitatis inſtituere, iiſque, & judiciis præſidere: pretia rebus venalibus præter tempus comitiorum & belli imponere: ponderum & menſurarum curam gerere: Iudæorum quoque patrocinium & judicia ad Palatinum pertinent. Caſtellani quaſi legati ſunt Palatinorum, ductoreſque & præſides nobilitatis ſub ſuo quiſque Palatino. Appellantur autem Caſtellani etiam vernacula lingua mutuato à Latinis vocabulo, à caſtellis ſive oppidis, eorumque territoriis, quæ ſinguli ſingula habent attributa: non quod dominatum, juriſdictionem, aut curationem in eis habeant, ſed legationem tantum bellicam, cujus modo fecimus mentionem: plerique etiam certos reditus anniverſarios. Indeque ſuam quiſque denominationem ſumit, videlicet, ut Voinicienſis vel Sremenſis, vel alius cujuſpiam loci Caſtellanus vocetur. Vocantur etiam perſæpe nomine vernaculo domini, loci appellatione in *ki* vel *ski* ſyllabam deflexa, verbi gratia,

tia, pan Poſnanski, pan Ploski. Solus autem Cracovienſis Caſtellanus, præter nomen & reditus, nihil habet commune cum aliis: Sed liberum is honorem habet, abſque ullo prorſus munere, præter commune Senatorium: Tam Palatinum autem, quam Caſtellanum lege eſſe non licet quenquam in ea ſatrapia, in qua nullum proprium habet fundum ſeu bona terreſtria. Vocanturque ii utrique vulgo communi vocabulo dignitarii, quaſi dignitate & honore præditi, addito fere ſatrapiæ, ſeu terræ nomine. Magiſtratus vero ſive officiales regni ab officiis, & functionibus quibuſdam publicis, quibus funguntur ad univerſam rempublicam pertinentibus, hanc ſumunt communem appellationem. Nam peculiaria eorum nomina ſuperius jam indicavimus: Quibus ſingulis REGNI nomen adjungitur, ut, verbi gratia, Mareſcalcus & Cancellarius regni dicatur, eodemque modo cæteri. Officia vero ſingulorum hæc ſunt. Mareſcalcus quidem magiſter eſt aulæ regiæ, & adminiſter conſilii publici, penes quem jus eſt convocandi ſenatum juſſu regis, vel primatis, præſtandi ſilentium & audientiam, faciendi poteſtatem dicendæ ſententiæ, legatos externos introducendi, ejiciendi è conſilio eos, qui ad id non

per-

pertinent, , pronunciandi decreta regia in cauſis infamiæ & capitalibus, promulgandi ad populum ſenatus conſulta, moderandi pompis publicis, hoſpites illuſtres ſuſcipiendi, compeſcendi motus inquietorum atq; turbulentorum non modo circum ſenatum & in publico, ſed etiam in privatis principis cœnaculis & habitaculis, animadvertendi in delicta, quæ in loco & oppido domicilii ſive hoſpitii regii, vel comitiorum admittuntur, denique in comitiis & in comitatu regio diverſoria diſtribuendi, & imponendi rebus venalibus pretia: unde etiam vectigal ſeu tributum forale ipſi provenit. Mareſcalci etiam eſt in aulicum regis comitatum & adminiſtros menſæ regiæ, aliorumque numerum aulicorum, profanos præſertim, juriſdictio, cenſura & animadverſio: eoque geſtat is in publicis conventibus, & regi in propatulum prodeunti præfert erectum ſceptrum ligneum, ſive baculum. Cancellarius & Vicecancellarius, nominibus & loco diſtincti, ſed poteſtate & munere exæquati, diplomatibus, edictis, mandatis, epiſtolis, & aliis ſcripturis regiis conſcribendis atque ſignandis, quæque ad eum mittuntur accipiendis & legendis præſunt. Itaque in poteſtate ſua habent ſigna regia, Cancellarius quidem majus,

Vice-

Vicecancellarius vero minus. Authoritas eorum eouſque patet, ut multa inconſulto principe ſignare: quæ vero contra leges eſſe videntur, jubenti illi negare poſſint. Dant etiam reſponſa regio nomine, & quibus de rebus conſilium haberi debet, in Senatu proponunt: denique ſenatus conſulta, regiaque & comitialia placita ac decreta literis mandant, & in publicum edunt. Sunt etiam ii cognitores privatarum querimoniarum, & provocationum ab urbanis & oppidanis, præfectorumque judiciis, ad regium tribunal devolutarum: Secretariis, ſcribis, ſacerdotibus, concionatoribus, & cantoribus aulicis ceremoniiſque eccleſiaſticis moderantur: is præſertim qui eſt de ſacro ordine. Lege enim, quamvis non antiqua, alterutrum ex iis ſacri, alterum profani ordinis eſſe oportet, cum antiquitus ſoli fere ſacerdotes eo munere fungerentur. Sunt autem ii in proxima exſpectatione honorum ſui uterque ordinis. Sed neque ſacerdoti cum epiſcopatu, exceptis Præmiſlienſi, Culmenſi, Chelmenſi & Camenecenſi, neque profano ſive ſeculari cum ullo Palatinatu vel Caſtellania retinere munus hoc licet, præter peculiarem indulgentiam, aut conniventiam: eſt autem uſitatum, ut de Vicecancellario fiat

Can-

Cancellarius, propter loci & ſententiæ dicendæ prærogativam. Theſaurarius ipſo nomine indicat munus ſuum. Eſt enim promus & condus theſauri regii, ſymbolorum ſive inſignium regni, quæ ſunt, corona, pomum, ſceptrum, & gladius, ſuppellectilis & redituum regiorum, ſcripturarumque & monumentorum publicorum: auctor & moderator quorumvis quæſtorum, curatorum, atque diſpenſatorum principis, & rationum reddendarum exactor, monetariæ officinæ magiſter: ſtipendiorum tam militarium quam aulicorum ſolutor: reddendæ principi rationi obnoxius. De Mareſcalco curiæ, & præfectis, referendariis, & ſecretariis, dicemus poſtea. Numerantur etiam inter Magiſtratus & officiales regni, duo duces exercitus: quorum alter generalis & ſupremus exercituum regni capitaneus, alter campiductor, ſeu campeſtris Capitaneus dicitur. Ac ille quidem dux eſt & moderator belli ſecundum principem, & vicarius principis. Ducit exercitum, capit locum caſtris, acies inſtruit, dat ſignum pugnæ & receptus, commeatus & annonæ curam in bello gerit, pretia rebus venalibus imponit, ponderibuſque & menſuris earum modum ſtatuit, & in delinquentes animadvertit. Campeſtris vero, hujus

eſt quaſi Vicarius à principe datus: excubiarum potiſſimum explorationumque curam gerit, & mercenariis militibus, illo præſertim altero abſente præeſt. Neuter tamen in Senatu locum habet: Quin temporarii eſſe perhibentur, neque inter magiſtratus regni habiti ſuperioribus temporibus. Longe minus autem alii quidem, qui ipſi noſtra fere memoria pro magiſtratibus regni haberi & appellari cœpere. Neque tamen in ſenatu locum habent, neque functionem ullam ad univerſum regnum pertinentem. Ii vero ſunt gladifer, pocillator ſive pincerna, ſtructor menſæ, quem inciſorem vocant, dapifer, ſubdapifer, magiſter culinę, qui dapibus apparandis & cocis regiis præeſt. Et certe aut iidem ſunt terreſtres Cracovienſis ſatrapiæ, aut ea ſola de omnibus nullos habet. Itaque nos quoq; de ſententia peritiorum inter terreſtres honores & magiſtratus eorum officia exponemus. Dicuntur autem terreſtres honores & magiſtratus, qui non univerſi regni, ſed terrarum atque ſatrapiarum ſunt peculiares. Officia terreſtria vulgo appellantur: & his qui præditi ſunt, officiales terreſtres. Sunt autem ii Succamerarius, capitaneus, gladifer, vexillifer, pincerna, ſuppincerna, inciſor, ſubdapifer, dapifer, tribunus, judex, ſubiudex, notarius, theſaurarius,

ſaurarius, venator, agaſo ſive equorum curator. Habentque certas ſuas functiones ſive curationes antiquitus, in ſua quiſque ſatrapia ſive tractu, ac terra, ut vulgo loquuntur: quarum quælibet olim, diſcerpto in multos dominatus regno, ſuum ducem habuit. Eius autem hi fuerunt adminiſtri peculiares. Nunc magna pars ſolum nomen eundumque honorem retinent. Quales ſunt gladiferi, pincernę, ſuppincernę, inciſores, dapiferi, ſubdapiferi, ac theſaurarii: niſi quod in extraordinariis iudiciis, quas commiſſiones vocant, regiis mandatis ſubſerviunt, & in colloquiis aſſident. Tametſi etiamnunc ii peculiaribus ſuis muneribus fungi recte poſſe exiſtimantur in ſuo quiſque tractu, à quo denominationem habet, quoties eum princeps adit: Nempe ut gladifer Poſnanienſis in Poſnanienſi ſatrapia gladium ipſi præferat in ſolenni pompa: pincerna poculum adminiſtret: inciſor ſive ſtructor menſam apponat: dapifer dapes inferat: ſubdapifer dapiferum cum ſceptro ſeu baculo præcedat, ſuppincerna potus curam gerat, theſaurarius condus ac promus pecuniæ ſit ac ſupellectilis eius. Cæteri ſane funguntur etiamnunc fere ſuis muneribus. Ac vexillifer quidem in bello vexillum præfert exercitui ſuæ ſatrapiæ: Tribunus cuſtos

eſt arcis in ſuo quiſque tractu , durante bello: Itaque vacationem habet militiæ: Venator venationibus & ſylvis præeſt: Agaſo equitio ſive armento equorum: Judex cauſis & controverſiis privatis nobilitatis diſceptandis & judicandis præſidet una cum ſubjudice : qui ejus eſt ſocius, non vicarius , loco tantum inferior. Notarius ſcriba eſt & actuarius judicii: Sed habet ipſe quoque in judiciis jus dicendę ſententiæ,conſuetudine magis, quam legum præſcripto. Cæterum Succamerarius (ut ejus partes poſtremo loco explicemus, licet honore omnibus his anteeat)olim fortaſſis prçfuit cubiculo & cubiculariis principis in ſua quiſque terra : Nunc regendis modo finibus agrorum ac bonorum terreſtrium præeſt. Quem itidem atque judicem , ſubjudicem,& notarium , juratum eſſe oportet. Habetque is ad id munus obeundum vicarios & ipſos juratos in ſingulis territoriis ſingulos , qui camerarii vocantur,ſive cubicularii,propterea fortaſſis , quod antiquitus miniſtri cubiculi principis ad id munus legebantur à ſuccamerario. Nunc is eos ſibi legit arbitratu ſuo ex equeſtri ordine ejuſdem territorii , & jurejurando adigit, mutatque quoties vult. Cracovienſis Succamerarius præ cæteris ea prærogativa præditus

tus eſt, ut ſalinarum ejus ipſius tractus arbiter ſit & inſpector. Capitaneorum officia ſtatim exponemus. Cæterum hi, de quibus modo egimus, non omnes in omnibus ſatrapiis ſunt, neque in ſingulis ſinguli. Et Cracovienſis quidem ſatrapia ſuccamerarium, gladiferum, dapiferum, tribunum, judicem, ſubjudicem, & notarium habet ſingulos: Poſnanienſis cæteros quidem habet itidem ſingulos: Succamerarius vero, judices, ſubjudices & notarios binos. Habet enim hoſce terra Vſchovienſis peculiares, quæ à Polonia quodam tempore ſejuncta fuit. Sendomirienſis ſatrapia cæteros quidem & ipſa ſingulos habet, præter tribunum, quem etiam Priſlovienſe territorium non ita pridem ſuum habere cœpit. Caliſſienſis item eoſdem omnes habet ſingulos. Siradienſis ſtructore & ſubdapifero caret: gladiferum, pincernam, dapiferum habet ſingulos: Succamerarios, vexilliferos, judices, & notarios binos. Habet enim hos Velunenſe territorium ſuos, ex quo tempore avulſum fuit à Polonia, ſicut arbitror. Tribuni item duo ſunt in eadem ſatrapia, Major & Minor. Lencicienſis gladiferum, ſtructorem & ſubdapiferum non habet, cæteros habet ſingulos. Itemque Breſtenſis. Inovvladiſlavienſis vero gladiferum unum habet,

bet, ſtructorem & ſubdapiferum nullum: Reliquos omnes binos. Habet enim Dobrinenſis terra peculiarem ſuccamerariū, vexilliferum, pincernam, dapiferum, tribunū, judicem, ſubjudicem, & notarium. Ruſſia quinos habet ſuccamerarios, vexilliferos, pincernas, dapiferos, tribunos, judices, ſubjudices, & notarios: Nempe Leopolienſem, Præmiſlienſem, Sanocenſem, Halicienſem, & Chelmenſem: Gladiferum, ſtructorem, & ſubdapiferum nullum. Podolia itidem nullum de his tribus: Reliquos vero ſingulos, exceptis tribunis, quos duos habet, Camenecenſem atque Trebovvlienſem. Lublinenſis ſatrapia gladiferum, ſtructorem, & ſubdapiferum nec ipſa habet: vexilliferum, pincernam, ac dapiferum ſingulos, cæteros binos. Lucovienſe enim territorium peculiares habet ſuccamerarium, tribunum, judicem, ſubjudicem, & notarium. Belſenſis ſuccamerarium, vexilliferum, pincernam, dapiferum, judicem, ſubjudicem, & notarium habet ſingulos, cæteros non habet. Plocenſis ſuccamerarium, pincernam, dapiferum, ac tribunum ſingulos: Iudicem vero & ſubjudicem & notarios binos: (Habet enim hos Zavvcrenſe territorium ſuos.) Structore ac ſubdapifero ea ſatrapia caret. Ravenſis vero ſtructore itē & gladiſe-

ro:

ro: Subdapiferum unum habet:reliquos autem ternos,territoriis diſtinctos, videlicet Ravenſem,Goſtinenſem, & Sochacovienſem.Maſovia judices habet undecim,totidem quot territoria : Nimirum Cyrnenſem, Viznenſem, Varſavienſem, Nurenſem,Vyſſegrodēſem,Zacrocimenſem,Ciechanovienſem,Lomzenſem , Oſtrolencenſem ſive Zembrovienſem,Rozanenſem , & Livenſem : Subjudices & notarios totidem : Succamerarios uno minus: Zembrovienſe enim territorium eo caret:Pincernas atque dapiferos octonos : Rozanenſe enim & Livenſe, atque item Zembrovienſe territoria hos non habent : Vexilliferum ne Lomzenſe quidem : Subdapiferum autem neque hæc ipſa , neque Nurenſe : neque Vyſſegrodenſe : porro ſuppincernas & theſaurarios totidem , quot ſubdapiferos habet Maſovia , nempe quinque : Suppincernam item Ravenſis ſatrapia habet : Breſtenſis vero theſaurarium : Cæteræ omnes neutrum: Magiſtrum culinæ nulla præter Cracovienſem , ſi modo non regni is eſt : Agaſonem nulla præter Ruſſiam : Venatores ſolæ Cracovienſis,Poſnaniēſis,Siradienſis atq;Lencicienſis ſingulos:Sendomirienſis vero &Maſovitica binos: Hæc quidem Viſnenſem & Lomzenſem:Illa vero Sendomirienſem &Ra-

domienſem. Habent & Oſuiencimenſis & Zatorienſis terræ ſuos judices ſingulos: habet etiam Severienſis ab epiſcopo. Cæterorum terreſtrium magiſtratuum nullum habet Sileſia, præfectis ſive capitaneis exceptis: De quibus jam dicendum eſt. Capitaneus, quem præfectum recte dixerimus, addito nomine arcis, cui præeſt, cuſtos eſt ac defenſor non ſolum arcis regiæ, verumetiam pacis atque tranquillitatis publicæ, in ſua quiſque præfectura, quam à vi tutam debet præſtare & vindicare, & furibus latronibuſq; repurgare. Itaque Iuriſdictionem coërcitionemq; habet late patentem, non modo in agreſtes & oppidanos, verumetiam in equeſtris ordinis homines: Qua de re accuratius ſuo loco tractabimus. Adhęc omnium aliorum judicum, eccleſiaſticorum juxta ac profanórum, ſententiàs ad extremum executioni mandat, ſi executores alii nolint, vel non proficiant. Gerit etiam curam commodorum & redituum principis, qui ex re familiari, ac cenſibus & penſionibus oppidanorum & agreſtium proveniunt. Et omnino arces, & villæ, ſeu ruſtica prædia cum ſuis ſartis tectis, & oppida pagique principis in ditione præfęctorum ſunt. Solus omnium Cracovienſis præfectus licet ampliſſimam juriſdictionem habeat, tamen

men ſartorum tectorum arcis, & reditũum principis curam non habet. Eſt enim magnus procurator ejus arcis, qui utrunque hoc onus ſuſtinet. Nam Poſnanienſis præfectus, licet majores etiam prærogativas & juriſdictionem in tota majore Polonia obtineat, atque ob id generalis majoris Poloniæ capitaneus vocitetur, curat tamen ſarta tecta arcis Poſnanienſis duntaxat, & reditus regios ejuſdem territorii. Cætera enim territoria juriſdictioni ejus ſubjecta, habent fere ſuos curatores, quos etiam minus proprie prefectos appellamus: de quibus poſt agemus. Oportet autem præfectum eſſe equeſtris ordinis, agros & fundos proprios in ea ipſa præfectura, cui præficitur, habentem. Neque externo autem, neque regio vel ducali genere orto, conferri præfecturam fas eſt. Nec duas cuiquam habere licet: Ac ne unam quidem; primariam duntaxat & juriſdictione præditam, cum primaria Caſtellania vel Palatinatu ejuſdem ſatrapiæ, Poſnanienſi & Cracovienſi, exceptis: in quibus non idem jus eſt. Ne Sileſiæ quidem cadunt ſub hanc legem. Habet præfectus quilibet ſuum vicarium, quem Vicecapitaneum vel Burggrabium vulgo vocant: Nos ſuppræfectum fortaſſis non inepte dixerimus, penes quem eſt vicaria præ-

fectura totius poteſtas, & rerum judicatarum executio. Habet & alterum adminiſtrum ſtatorum, ac certis temporibus peragi ſolitorum judiciorum, quem judicem caſtrenſem dicunt. Vtrunque arbitratu ſuo creat & abdicat: Sed utrunque juratum itidem, atque ipſum præfectum, & ex equeſtri ordine eſſe, certaque bona terreſtria in ea ipſa præfectura habere oportet. Nec eundem judicem ſuppræfectum, terreſtremve & caſtrenſem judicem, eſſe fas eſt. Habet item præfectura quæque actuarium juratum, quem notarium caſtrenſem nominat. Non ſunt autem ſatrapiis, verum arcibus ac territoriis fere, quæ diſtrictus vocantur, diſtinctæ præfecturæ: nonnullæ etiam complura territoria in ſe complectuntur. Sunt vero hæ totius Poloniæ præfecturæ: In majore quidem Polonia unica generalis, Poſnanienſe, Coſtenſe, VVſchovenſe, Caliſſienſe, Gneſnenſe, Pyſdrenſe, Coninenſe, Keinenſe, & Naclenſe territoria complexa: In minore autem Cracovienſis, quæ præter primarium, alia tria territoria, videlicet Proſſovienſe, Xianzenſe & Lelovienſe in ſe continet. Præter eam ſunt, Sandecenſis & Biecenſis præfecturæ cum jurisdictione. In Sendomirienſi vero ſatrapia ſunt: Sendomirienſis, Radomienſis, (Stenzicenſe

quoque

quoque territorium dudum complexa, quod jam peculiarem præfectum habet:) Corcinẽſis, quę & novę civitatis dicitur, Chencinenſis, Opocinenſis, Pilſnenſis. In Lublinenſi eiuſdem nominis præfectura eſt, & Lucovienſis. In Siradienſi Siradienſis, quæ Schadcovienſe quoq; & Radomſcenſe & Potricovienſe territoria annexa habet: Velunẽſis item & Oſtreſſovienſis. In Lencicienſi unica eſt, tria habens territoria, nimirum Lencicienſe, Brezinenſe, & Orlovienſe. In Cuiavia Breſtenſis, Cruſuicienſe item & Coualiẽſe, & Prędecenſe, territoria adjuncta habens: Iunivvladiſlavienſis cum annexo Bydgoſtienſi territorio: & Bobrovvnicenſis, Dobrinenſe, Ripinenſe & Libnenſe territoria complexa. In Ruſſia Leopolienſis, Præmiſlienſis, Sanocenſis, Halicienſis, Chelmenſis, & Craſnoſtavienſis. In Podolia Camenecenſis atq; Trebovvlienſis. In Belſenſi ſatrapia Belſenſis, Buſcenſis, Grodlenſis, & Grabonecenſis. In Plocenſi unica cum tribus aliis territoriis, Zavvcrenſi, Mlavenſi, Srenenſi ſive Srencenſi. In Maſovia Cyrnenſis, Viznenſis, Varſavienſis, cui Nurenſe quoque territorium paret, Vyſſegrodienſis, Zacrocimenſis, Ciechanovienſis, Lomzenſis, Rozanenſis, (in qua eſt Macovienſe territorium,) & Livenſis. In Ravenſi vero ſatrapia

tres

tres præfecturæ ſunt, Ravenſis, Goſtinenſis, & Sochacioviensis.In Silesia ſunt Oſuiencimenſis & Zatorienſis. Præter has præfecturas ſunt & aliæ de ſuperioribus fere detractæ,& peculiariter,quamvis minus Latine, tenuta, earumq; præfecti tenutarii vulgo vocantur: qui partim non habent ſua territoria, partim habent, verum ſine ulla juriſdictione in nobilitatem. Nam ea eſt penes veros præfectos, quibus eæ tenutæ voluntate regia propter utilitatem, vel aliqua de cauſa detractæ ſunt. Sunt autem ii tenutarii curatores,modo regiorum prædiorum atque redituum, & caſtellorum, plebiſque ſubiectæ, non diſſimili conditione magni procuratoris arcis Cracovienſis. In iis leges eæ, quæ de præfecturis quidem commemoratæ ſunt, locum non habent. Omnium autem præfecturarum reditus, partim ex agricultura,& re pecuaria,partim è molis frumentariis & ſylvis, partim è cenſibus & penſionibus agreſtium & oppidanorum proveniunt,& vel certo pacto præfectis locantur à principe, vel eorum fidei committuntur,ita ut rationibus reddendis obnoxii ſint. Condonantur etiam interdum ob eximia merita. Oppignorari quoque præfecturas non inuſitatum eſt, eas præſertim, quæ juriſdictione carent,

quæque

quæque non ſunt primariæ cujuſque ſatrapiæ. Sed ita demum id legitimum eſt, ſi rata redituum portio quotannis de capite deducatur. Quod cum in deſuetudinem abiiſſet ſuperiori tempore, comitiorum decreto nunc revocatum eſt. In iis vero præfecturis, quæ juriſdictionem habent, ſi uſus reipublicæ oppignorationem requirat, etiam aſſenſu ſenatus comitiali opus eſt. Sola Sendomirienſis privilegio quodam neque oppignorari, neque locari perpetua locatione poteſt. Habent & epiſcopi, & proceres, atque equites locupletiores nonnulli arces & præfectos ſuos: Sed hoc nomine principi nequaquam obnoxios. Habet arx Cracovienſis peculiariter decem cuſtodes, qui burggrabii, ſumpto à Germanis vocabulo, appellantur, ſine ulla poteſtate, præfecti auctoritati obnoxios: Qui pacis juxta ac belli tempore nocturnas, atque etiam diurnas, quando opus eſt, excubias, per ſe, vel per adminiſtros ſuos ſervant: Habentque militiæ vacationem: & eo nomine ambitur id munus à multis, & à rege confertur. Salinæ & alia metalla habent ſuos curatores & adminiſtros juratos, & rationibus reddendis obnoxios. Præeſt autem ſalinis Bochnenſibus & Veliſcenſibus, earumque adminiſtris & operis, unus ſalinator, quem zuppa-

rium Cracovienſem vocant. Ruſſicis item unus, quem Ruſſicum appellant. Et eſt honorata hæc utraque curatio. Sed neque in regni, neque in curiæ, neque in terreſtribus magiſtratibus numerantur: Quemadmodum neque telonæ, ſive quæſtores teloniorum, neque tributorum atque exactionum publicarum exactores. Et ii vero utrique rationibus reddendis obnoxii ſunt: Telonæ quidem, ſi non redemerint telonia: Quod faciunt plerunque. Hos omnes in hunc locum terreſtrium magiſtratuum conjicere libuit, propterea quod eorum curationes ad præfectorum officia nonnihil accedunt. Scribam quoque ſive notarium theſauri regii nihil vetat his adjicere, quem rex ipſe edit, ac theſaurario vicarium adjungit. Eſt & ſcriba caſtrenſis, quem etiam notarium campeſtrem vocant, mercenariorum militum conſcriptor, & ſolutor ſtipendiorum. Sunt etiam à terreſtribus magiſtratibus non multum diverſa miniſteria quædam in aula princis, quæ officia curiæ dicuntur. Quorum adminiſtri terreſtrium plerorumque & regni officialium (quorum ſunt cognomines) quotidianis miniſteriis in aula principis funguntur, fidemq; ſuam principi ad ſuum quiſque miniſterium jurejurando obſtringunt. Sunt autem

tem

tem ii: Mereſcalcus, Theſaurarius, ſeu Vicetheſaurarius, Succamerarius, Referendarii duo, pincerna, ſtructor menſæ, ſubdapifer, dapifer, magiſter culinæ, & præfectus curruum. Nuper etiam his acceſſere, Vexillifer, ac ductor aulicæ militiæ. Qui omnes addito nomine curiæ, à ſuperioribus magiſtratibus & officialibus cognominibus ſuis diſtinguuntur: nempe ut Mareſcalcus curiæ, theſaurarius curiæ, atque eodem modo alii dicantur. Nec ſcio an & Secretarii in hunc ordinem referri debeant, licet nullum peculiare certumque munus attributum habeant, ſed ad nutum principis præſto ſint in obeundis ejus nomine legationibus, in ſcriptionibus & lectionibus publicarum & regiarum ſcripturarum, in acciendis ac deducendis ad regem vel in ſenatum illuſtribus hoſpitibus & legatis principum, in exquirendis & referendis ſententiis ægrotorum, & à conſilio abſentium primariorum ſenatorum, in recognoſcendis pro principe locis, factis, & cauſis controverſis, regiorum præſertim hominum, & adminiſtrorum inter ipſos, vel cum magiſtratibus ſuis, & ſi qua ſunt alia honeſta & cum dignitate conjuncta miniſteria. Numerus eorum certus non eſt. In his eminet unus, qui appellatur primus

ſeu

ſeu major Secretarius. Is abſentium Cancellariæ præſidum vicem ſupplet in aula & comitatu principis: Nec tamen, ut illi, geſtat ſignum regium, ſed quoties opus eſt, petito ab ipſo annulo ſignatorio, tam diplomata publica, quam epiſtolas ipſo præſente ſignat. Quod ſi is quoque abſit, peragit ea quiſpiam de cæteris Secretariis, quem princeps juſſerit. Habet autem primus quoque Secretarius ſecundum Cancellarium & Vicecancellarium prærogativam capeſſendi honores publicos & magiſtratus qui vacaverint: In arbitrio tamen regis poſitam. Habet & locum honoratum ſupra omnes officiales terreſtres & aulicos, excepto Mareſcalco. Mareſcalcus curiæ abſente Mareſcalco regni agit omnia quæ illius muneris ſunt: A præſente etiam ſocius adhiberi ſolet ac debet ad ea quæ ſunt majoris momenti peragenda, præfertq; cum eo pariter principi erectum ſceptrum. Theſaurarius item Theſaurarii regni abſentis vices gerit, adhibeturque & ipſe à præſente ad pleraque omnia. Succamerarius, eſt magiſter cubiculi atque cubiculariorum puerorum, aliorumq; domeſticorum principis adminiſtrorum: Sub cujus poteſtate eſt ſupellex ad lectum & cubiculum principis cultumque corporis pertinens. Ianitoribus quoque
idem

idem præeſt. Referendarii, ſupplicum libellorum magiſtri ſunt, & querimoniis hominum audiendis, Cancellariæque, ut verbo legis utamur, referendis præſunt. Quinetiam in litibus urbanis diſceptandis præſto ſunt eidem Cancellariæ, ejuſque permiſſu exponunt regi cum conſilio cauſas & controverſias litigantium. Nuper adeo ſententias quoque rogari cœperunt in regiis judiciis. Sunt autem duo pari poteſtate, alter eccleſiaſtici, alter profani ordinis. Ductoris copiarum, magiſtri ſtabuli, magiſtri culinæ, & præfecti curruum quæ ſint officia, ipſa eorum nomina ſatis oſtendunt. Cæterorum munera jam ſunt explicata in terreſtribus officiis & curationibus. Eadem enim ſunt horum atque illorum: Sed cedunt hi illis præſentibus in ſua cuique ſatrapia ſive terra. Hæc autem omnia honorata ſunt miniſteria: Minus illa, interioris cubiculi ſervatoris, curatoris lecti atque diſpenſatoris. Cęterum ſtipendiarii & aulici principis equites, concionatores, & ſacrifici, quamvis honorato ſint loco, tamen inter officiales non cenſentur: Multo minus ſtipatores, ſive ſatellites, cubiculariique & pueri: Sed perpetui ſunt adminiſtri principis, & præſto ſunt ipſi iter facienti, & quovis loco manenti. Ac ſacrifici quidem per vices operantur

ſacris quotidie præſente rege. Canunt etiam feſtis diebus, benedictioneſque & gratiarum actiones ritu Chriſtiano ad menſam ejus peragunt. Concionator ſacris concionibus fungitur. Aulici vero (ſic enim vocantur) equites equis ſtipendia merent, præſidii honoriſq; regii cauſa, & equeſtrem eum vel currulem equeſtres fere comitantur. Qui equitatus numeroſus eſt atque ſplendidus, nobili juventute conſtans. In qua ſunt complures magiſtratibus & officiis non modo aulicis verumetiam terreſtribus præditi. Ei vero Mareſcalci moderantur. Cæteri miniſtri non habent neceſſe equos alere. Itaque pedeſtres prodeuntem in publicum principem deducunt. In ſolennibus tamen pompis non inuſitatũ eſt, ut equites quoq; aulici pedeſtres equeſtrem principem antecedant. In longioribus autem itineribus ii, qui equis non merent, vel regiis, vel oppidatim ſuppeditatis, vel conductitiis equis aut curribus vehuntur. Ex his ſtipatores præſidii cauſa ſunt circum principem: Quod tamen recens eſt in Polonia: ſed auget majeſtatem principis. Cubicularii & pueri præſto ſunt ad quævis domeſtica miniſteria. Sed cubiculariorum peculiaris uſus eſt in acciendis in ſenatum & ad regem conſiliariis, & perferendis quoquo verſus

ſus literis, mandatis, edictiſque regiis. Quam ad rem oppidatim & vicatim eis mandato principis equi ſubminiſtrantur. Quæ, ſubvectiones, &c, lingua vernacula, poduodæ vocantur: Curſum publicum latini vocant. Incedentem in publico principem, aulici quidem antecedunt: ſtipatores prælongis ſecuribus more peditum Germanorum armati latera eius cingunt: Cubicularii vero cum pueris ſubſequuntur, ſed ita, ut & aulici proceribus atque ſenatoribus profani ordinis, & cubicularii puerique epiſcopis ac ſecretariis eccleſiaſtici ordinis proxima principi loca honoris cauſa concedant: Niſi forte regem regina ſequatur. Tunc enim epiſcopi quoque & ſecretarii cum proceribus antecedunt: Reginam vero longus ordo ſequitur nobilium matronarum & puellarum. Hæc igitur eſt ratio univerſa aulæ & comitatus regii. Mitto enim cantores, abaci cuſtodem: mapparium, canum venaticorum curatores, dimenſorum diſtributores, janitores, tibicines, tubicines, opifices, & alia viliora miniſteria: Quæ magna eſt turba, & ſumptibus principis alitur. Et quoniam omnia perſequimur: volumus quidem certe. Habet etiam regina ſuum comitatum, nec modo puellarum & matronarū quę in gynęceo ſunt, ſed etiam puerorum

cubiculariorum & aulicorum, & in his peculiares adminiſtros ſive officiales. In primis magiſtrum curiæ, qui omnibus præeſt, Reginamque prodeuntem cum ſceptro antecedit: magiſtram curiæ, matronam gynæceo moderantem: Deinde Cancellarium, vel Secretarium: Cujus ſunt munera, literas nomine reginę conſcribere, & ſignare, & legere, & compellantibus eam reſponſa dare. Quod quidem neſcio an cum magiſtro curię commune habeat. Eſt autem & hic diſcrimen inter cancellarium & ſecretarium, quod hic non geſtat ſignum reginæ, ſicut ille: ſed ab ea, quoties opus eſt, utendum accipit. Habet regina etiam theſaurarium ſuum, & pincernam ſive pocillatorem, & ſtructorem menſæ, & ſubdapiferum, & dapiferum, & culinæ ac ſtabuli magiſtros ſingulos: Itemque diſpenſatorem, abaci cuſtodem, mapparium, & janitores, eodem, quo regii ſunt, honoris diſcrimine: Quibus omnibus victus, veſtitus, & mercedes à rege præbentur. Indidem ipſius quoque reginæ menſa inſtruitur, res veſtiaria, mundus muliebris, & jumenta comparantur. Quod ſi ea regi ſuperſtes ſit, vidua de ſuo ac de fructibus & reditibus eorum bonorum, quæ rex ipſi dotis ac donationis propter nuptias nomine de ampliſſimi conſilii ſententia

tentia attribuerit, ſeſe cum univerſo comitatu ſuo deinceps ſuſtentat. Atque hæc de magiſtratibus regni terreſtribus, & aulicis, nobis decurſa ſunto. De eccleſiaſticis magiſtratibus, honoribus, miniſteriis & curationibus, quales ſunt ſecundum Archiepiſcopos & Epiſcopos, ſuffraganeorum, abbatum, præpoſitorum, Decanorum, Archidiaconorum, ſcholaſticorum, cantorum, cuſtodum, cancellariorum, vicariorum in ſpiritualibus, officialium, commiſſariorum miniſtrorum, priorum, cuſtodum ſive guardianorum, pœnitentiariorum, parœcorum, quos etiam plebanos vocant, non eſt operæpretium hic nos perſequi: Ne de collegiis quidem, canonicorum, monachorum, & monacharum, fratrum conventualium, vicariorum, pſaltarum; manſionariorum, & ſi qua ſunt alia. Neque enim peculiare quicquam habent apud Polonos præ cæteris gentibus & nationibus Chriſtianis, neque ad rempublicam pertinent, exceptis archiepiſcopis & epiſcopis, & ſi quibus forte prędterea peculiariter quædam reipublicę munera, quorum ſuperius mentionem fecimus, mandantur. Magnus tamen, ut par eſt, honor eis & omnibus ſacerdotibus habetur ſolo ſacerdotii nomine. Major etiam olim habebatur: id quod è ve-

tuſtioribus literarum monumentis deprehenditur. Omnes autem ii epiſcoporum & archiepiſcoporum poteſtati & juriſdictioni ſubjecti ſunt, præter, ſi qui pontificis maximi,cujus eximia poteſtas eſt, auctoritate exempti ſunt. Plebes urbanæ,oppidanæ,vicanæ, & agreſtes, partim principi parent,partim proceribus& equitibus:partim certis ſacerdotiis attributæ ſunt. Reguntur autem à ſuis quæque dominis, eorumq; præfectis ac procuratoribus, ex æquo & bono ſive ex arbitrio magis, quam certis legibus. Quanquam non carent tamen ſuo quæque jure: Quod non eſt unius modi, quemadmodum poſterius oſtendemus. Præter dominos autem, eorumque præfectos & procuratores,habet plebs quæque oppidatim,vicatim,& pagatim ſuos magiſtratus. Ac in pagis quidem ſcultetum ſive advocatum hæreditarium vocant, qui eſt quaſi ductor ac defenſor coloniæ: qui vel ipſe,per ſe, vel per vicarium ſuum,(& ipſum advocatum, ſed judicialem vocant,) cum adjunctis aliquot ex aratorum numero ſcabinis (ſic appellantur judices, ſive aſſeſſores judicii)jus dicit.In civitatibus autem & oppidis & vicis præter hos, ſunt etiam conſules.Ita vocamus eos,qui à veteribus decuriones appellantur: penes quos eſt ci-
vitatis

vitatis cuiuſquam gubernatio & cuſtodia: in delinquentes animadverſio: publicorum commodorum adminiſtratio, curaq; ædificiorum & ſartorũ tectorum publicorum. Inter eos autem unus pręſidet magiſter civiũ, quem vulgo proconſulem vocitant, qui eos quoties opus eſt, convocat, & in conſilium adhibet. Nam leviora ſine illis ipſe gerit. Conſulum non idem eſt ubiq; numerus. Habẽt item ſingulæ opificum ſocietates & contubernia in qualibet civitate & oppido ſuos magiſtros, & his adjunctos aliquot ſeniores. In maioribus urbibus ſunt etiam ædiles unus & alter, de numero decurionũ delecti, pecuniæ publicæ quęſtores, & ſartorũ tectorũ curatores. In oppidis vero & vicis communiter hæc à decurionibus curantur. Hos magiſtratus, in oppidis præſertim, juratos eſſe oportet, præter advocatos hęreditarios. Nullos autem communes magiſtratus pagi inter ſe, neq; civitates, habẽt. Hæc de plebeiis magiſtratibus. Creandorum magiſtratuũ, & honorum mandandorum, in Polonia non una eſt ratio. Olim epiſcopi ex præſcripto ſacrorum canonum à collegiis primariorum ſacerdotum, quæ capitula cathedralium eccleſiarũ vulgo nominant, legebantur: Nunc princeps, umbratili quadã electione illis relicta, aut ne relicta quidem, ſolus

 arbi-

arbitratu ſuo edit epiſcopum,& pontifici max. commendat (quod fiebat etiam à collegiis) ut eius auctoritate approbetur, præficiatur,& ab aliis epiſcopis conſecretur. Cæperunt autẽ ſic editi ſive nominati indulgentia vel conniventia quadam admitti ad conſilia publica priuſquam approbentur à pontifice: Non item ad functiones ſacras, & jurisdictionem eccleſiaſticam,& adminiſtrationem bonorum: Sed à morte epiſcopi collegium ſacrum, diſtributis inter ſe curationibus, bona vacantia adminiſtrat: excepta Gneſnenſi diœceſi, quæ peculiarem habet Oeconomum, etiam vivente Archiepiſcopo. Ius autem dicit in ea juxta ac in aliis diœceſibus vacante ſede unus aliquis, quem collegium adminiſtratorem temporarium renunciaverit. Abbatum & præpoſitorum eligendorum jus collegia monachorum hactenus retinuere: Sed jam vix retinent, ab epiſcopis primum, deinde à regibus etiam labefactum & violatum. Ad electionem quidem certe, regius aſſenſus & epiſcopi auctoritas accedat, oportet. Cæterum in ſodalitiis & conventibus fratrum mendicantium neutrum horum requiritur. Ne in inferioribus quidem & quaſi vicariis locupletiorum monaſteriorum curationibus, quas fere præpoſituras vel prio-

prioratus vocant, Prælati & canonici eccleſiarum cathedralium, partim à pontifice maximo, partim ab ipſarum epiſcopis, alternis menſibus creantur. Primariorum tamen ſecundum epiſcopos in unaquaque eccleſia prælatorum & nonnullorum canonicorum edendorum ſive commendandorum, &, ut vulgo loquuntur, præſentandorum jus regi conceſſum eſt pontificum ſuperiorum indulgentia. Indultum eſt idem jus etiam privatis quibuſdam, præſertim epiſcoporum curatoribus, in aliis quibuſdam ſacerdotiis. In parœciis vero & aliis minoribus ſacerdotiis uſitatum & legitimum eſt, ut jus edendi ſit penes eos, unde profecta eſt donatio cujuſque ſacerdotii, vel in quorum bonis id proventuſque ejus ſiti ſunt, ſic tamen, ut penes epiſcopum ſit approbatio editi, & reprobatio, ſi non ſit idoneus: aut ſi plures pariter edantur, dijudicatio. Quod de illis quoque, qui à rege vel alio quopiam profano commendantur, ſive præſentantur, intelligendum eſt. Vocantur autem patroni uſitato juri pontificio nomine; collatores etiam vulgo, qui jus hoc edendi, ſive præſentandi habent: Quibus invitis obtrudi ſacerdotem ſive beneficiarium per legem non licet, ne pontificis quidem maximi auctoritate: niſi ii ſeſe

indignos eo jure reddiderint, aut intra tempus legitimum uti eo neglexerint. Obtruſo pœna eſt proſcriptio. Quæ ſic obiter, & præter inſtitutum propemodum, hic nobis perſtricta ſunto. Ad proprios reipublicæ Polonæ magiſtratus revertamur. Palatinos & Caſtellanos, & reliquum omnem ſenatum regni, princeps legit, & jurejurando obſtringit, ſibi & regno ſive reipublicæ. Idem confert præfecturas, cæteroſque omnes magiſtratus, honores & miniſteria publica. Sed in magiſtratibus regni illud receptum eſt, ut non niſi in comitiis renuncientur. In judice vero & ſubjudice, & ſcriba ſive notario, terreſtribus ita adſtricta eſt legibus poteſtas principis, ut nobilitas eius ſatrapiæ ſive territorii, cuius judex, vel ſubjudex, vel ſcriba deceſſit, conventu inſtituto, auctore & præſide palatino, quatuor patres familias equites eligat: de quibus princeps unum, quem vult, in locum vacantem ſurroget. Abrogari vero magiſtratus aut honor ullus nemini poteſt, niſi per maximam vel mediam capitis diminutionem, hoc eſt, libertatis civitatiſve, ſive nobilitatis & bonæ famæ amiſſionem: aut ſi quis alium magiſtratum honoremve adeptus ſit, quem cum priori retinere jure non poſſit. Ipſe ſe quiſque abdicare arbitratu

ſuo poteſt. Præfectura, & metallorum, teloniorumque curatione, princeps amovere quemlibet, quando vult, poteſt, niſi cui ipſe promiſerit, ac diplomate caverit, ut ad certum tempus, vel quoad vixerit, amoveri nequeat. Aulico item magiſtratu & miniſterio amoveri quenque regi licet. Non temere tamen id facit, nec fere ſine nota ignominiæ: niſi lex jubeat. Exactores tributorum annui fere creantur à rege, vel comitiali placito. Plebeios magiſtratus partim domini vel præfecti creant, partim ipſi ſibi cives & oppidani legunt, præter Cracoviam, ubi Palatinus jus legendi ſenatus habet: abrogandi non habet: Nec niſi morte, aut maxima mediave capitis diminutione honoris amittitur: ex omni etiam numero viginti quatuor conſulum, quotannis octo, quos vult, Palatinus rebus gerendis præficit, quos prẹſidentes vocant: de quibus certo ordine ſinguli fiunt magiſtri civium in ſex hebdomadas. Nec multum diverſa eſt ratio conſulum in aliis quibuſdam civitatibus & oppidis: Niſi quod præfecti in ſuæ quiſque ditionis oppido unum aut alterum legendi facultatem habent. Cazimiriæ, Clepariæ, & Proſſoviæ magnus procurator arcis Cracovienſis, cum in legendis conſulibus, tum in aliis rebus, præfecti vicem obti-

obtinet. Idem advocatum & ſcabinos juris ſupremi Theutonici ſive Magdeburgenſis legit. Cæteros autem ſcabinos, ipſi conſules ſive decuriones in ſua quique civitate & oppido legunt, & ſacramento adigunt. Cracoviæ advocatum quoque judicialem. Cæterum Scultetus ſive advocatus hæreditarius in quovis oppido, vico atque pago ſemel à domino conſtitutus, magiſtratum hunc, obnoxium ipſi domino ad equeſtre miniſterium, reique publicæ ad expeditionem bellicam, etiam ad hæredes tranſmittit. Quin & in externum transferre aſſentiente domino poteſt. Eſt tamen jus faſque domino amovere ſcultetum, & advocatum hæreditarium contumacem aut inutilem, perſoluto ipſi pretio, quod habet inſcriptum in diplomate, vel ſecundum æſtimationem emolumentorum atque ædificiorum. Niſi quid enorme & privatione dignum is commiſerit. Quo quidem jure multi ſic abuti cœpere ad augenda commoda ſua, ut ſcultetis & advocatis hæreditariis ſine ulla culpa ejectis prorſus, vel in ordinem redactis, agros eorum prædiis ſuis adjunxerint, judiciis vero judiciales advocatos arbitratu ſuo præficiant. Reditus magiſtratuum regni exigui, terreſtrium vero & aulicorum nulli fere ſunt. Ne ur-

banorum quidem, & oppidanorum,& agreſtium ulli fere certi ſunt. Honorem Poloni ſatis amplum & luculentum virtutis & honeſtorum laborum præmium eſſe duxerunt, etiam ſine compendio: quod minus generoſi animi magis plerunque conſectantur. Sunt tamen certæ mercedes, & quaſi ſportulæ, quæ judicibus judiciorumque adminiſtris penduntur à litigantibus. Primores aliquot Palatini & Caſtellani, mediocres tamen habent reditus, partim ex agris & prædiis, partim è ſalinis, vel teloniis, ſive aliis quibuſdam penſionibus à principe antiquitus in omne tempus attributis. Epiſcopi nonnulli peramplos habent, unde non modo ipſi commode & cum dignitate vivere, & ſenatoria munera laute ſuſtinere, verumetiam inferioris ordinis ſacerdotes, ſocios & adminiſtros ſuos recte alere ac tueri, & omnem cultum divinum cum dignitate adminiſtrare, & egenis denique liberaliter ſubvenire queant. Habet etiam decimas omnium ſegetum publico principum ac totius Poloniæ conſenſu jam inde ab initio ſuſceptæ religionis Chriſtianæ attributas, & aliis quibuſdam penſionibus poſtea vel cumulatas, vel commutatas: indeque tum aliis quibuſlibet ſacrorum adminiſtris, tam parœcis, prælatis, &

cano-

canonicis certas portiones antiquitus ſegregarunt. Habent & luculentos fundos, prædia, pagos, oppida, arces & territoria; partim priſcorum itidem principum & regum, partim privatorum munificentia adjecta. Ne abbatum quidem & cæterorum ſacerdotum, primariorum præſertim, quos prælatos vocant, & monaſteriorum, atque etiam parœcorum piis & honeſtis uſibus male proſpexit ſimilis pietas & beneficentia. Ipſi etiam ſuperiorum temporum epiſcopi, abbates, & ſacerdotes ſucceſſoribus & poſteris ſuis permultum addiderunt, patrimonia ſua, vel empta aliunde bona, cenſuſve ſacerdotiis adjungendo, templorumq; ſplendorem, ædificiorum atq; donariorum omnis generis magnificentia augendo, quo auguſtiorem cultum divinum redderent. Atque hæc omnia cum ipſis adeo perſonis eccleſiaſticis majorum legibus ac principum benignitate immunia ſunt à pleriſq; omnibus muneribus & oneribus publicis. Quo prolixior autem fuit hominũ in ordinem ſacrum munificentia ſuperioribus temporibus, hoc erant abundantiores & ipſi, qui de ſuo liberales erant, licet minus curæ laboriſq; rei familiari impenderent. Nunc paſſim in alienas donationes ac decimas invaditur longe maiore avaritiæ rapacitatiſque.

tatiſque infamia, quam egeſtatis relevatione. Multi tamen ex hoc ordine nullos habent certos reditus: ſed partim Epiſcoporum & opulentiorum non modo ſacerdotum, verum etiam profanorum ſtipendiis, partim cæteræ multitudinis quotidiana beneficentia & quaſi ſtipe vitam ſuſtentant. Quales fere ſunt etiam ii, qui vocantur mendicantium conventus, ſive collegia. Sed nos honorum & magiſtratuum omni ferme ratione explicata, ad iudicia tranſeamus. Eorum autem ratio varia & perplexa eſt in Polonia. Habet ordo eccleſiaſticus, quemadmodum & apud alios Chriſtianos populos, ſua, quibus cæteri quoque homines, nobiles pariter ac plebeii, obnoxii ſunt aliquatenus, in iis præſertim cauſis, quæ cum religionis, aut perſonarum, rerumve ſacrarum ratione aliqua ex parte connexæ ſunt: Quales ſunt, de inſtitutis & ritibus religionis, quæque his adverſantur, de impietate, hæreſi, ſchiſmate, magia, incantationibus, fœnore, ſacerdotiorum cauponatione, quam Simoniam vulgo vocant: Itemq; de decimis, & fundis, & quibuſvis cenſibus ac reditibus eccleſiaſticis, de cæde, vi, & injuria ſacris initiato homini, reive, aut loco ſacro, ſeu ſacerdotii fundo illata. Adhæc de iure patrocinii ſive patro-

patronatus,quod vocant, & de ſacerdotiorum jure quævis controverſiæ, itemque de jure matrimonii & natalium, & de miſerabilium egentium perſonarum iniuriis, quæque ex obligatione in foro eccleſiaſtico facta, oriuntur. Teſtamentariæ cauſæ profanorum hominum in hoc æque ac profanis foris diſceptantur, dummodo extra iudicium teſtamenta ſint condita. Aliter enim in eo foro diſceptantur, in quo ſunt condita. Niſi quid forte legatum ſit pietatis ergo,& ad piam cauſam, ut vulgo loquuntur, hoc eſt, templis, eccleſiarumve miniſtris aut egenis:Quę cauſa propria eſt eccleſiaſtici iudicii. Eſt autem judiciorum eccleſiaſticorum ſumma penes epiſcopos: quorum vices gerunt ii, quos vocant vicarios in ſpiritualibus, Cancellarii & officiales:Inter quos unus,qui eſt primarius, generalis appellatur: Cæteri foranei. Ab epiſcopis, eorumque vices gerentibus provocatio eſt ad Archiepiſcopos: & ad Gneſnenſem quidem ab ipſo etiam Leopolienſi Archiepiſcopo: Idque eo nomine, quod ille eſt legatus perpetuus, ſive, ut vulgo loquuntur, natus ſedis apoſtolicæ. Pertinent autem ad ejus provinciam hi epiſcopi: Cracovienſis, VVladiſlavienſis, Poſnanienſis, & Plocenſis in Polonia, VVratiſlavienſis in Sileſia Boëmicæ

micæ ditionis: Lubeſſenſis in Marchia Brandeburgenſi. Vilnenſis in Lithuania: & Mednicenſis in Samogitia: Olim Culmenſis quoque in Pruſſia, & Camenenſis in Pomerania ſub eo fuere. Sed avulſi ſunt poſtea. Ad Leopolienſem vero, Præmiſlienſis, Chelmenſis, Camenecenſis, Lucenſis, ſive Luceorienſis, atque Kiovienſis. Extrema tandem provocatio eſt ad pontificem maximum antiquiſſimo Chriſtianæ religionis inſtituto. Omnes autem iudices eccleſiaſtici iudicant, ſive adeo iudicare debent è præſcripto eccleſiaſticorum & pontificiorum canonum: & prætter diras ſive cenſuras & interdicta eccleſiaſtica, habent ius quoddam coërcendi ſontes, in ſui quidem ordinis homines laxius, in profanos autem reſtrictius, ita ut contra hos ad executionem rerũ iudicatarum, urbanorum ac terreſtriũ magiſtratuum opem ad extremum imploraſſe neceſſe habeant. Nec ii jure eis deeſſe poſſunt aut debent. Habent & profani inter ſe nobiles iuxta ac plebeii ſua iudicia: quibus ſacris initiatum aut ſacerdotio præditum præeſſe non licet. Ac nobilitas quidem terreſtribus iudiciis peculiariter ſubeſt: quæ à iudice, ſubiudice, & notario terreſtribus exercentur, alibi quidem quater, alibi ſexies quotannis, alibi vero

ſingulis menſibus: Niſi forte judex, ſubjudex, aut notarius deſit: aut bellica expeditio, vel comitia, colloquiave (de quibus paulo poſt dicemus) interveniant. Tunc enim, ſilent iudicia nobilitatis, non terreſtria modo, ſed & alia. Sunt autem in qualibet ſatrapia ſive palatinatu certa oppida, in quibus jus hoc dicitur nobilitati, in eo ipſo territorio bona agroſque habenti. Nec evocari quenquam è ſuo territorio licet, niſi ipſe certa obligatione nominatim ab hac prærogativa receſſerit. Cæterum qui nulla habet bona terreſtria, conveniri hoc jure non poteſt. Ne ſacerdos quidem, exceptis cauſis finium regundorum, & adſcriptitii alieni profugi, cæſi, vel vulnerati: aut ſi ullo alio quam ſacerdotii nomine bona terreſtria poſſideat. Oppida vero ac territoria judiciaria hæc ſunt: In Cracovienſi quidem ſatrapia Cracovienſis arx, Proſſovia, Xianzum, Lelovia, Biezzum, Cichovia: In quo oppido & Sandecenſe territorium judicatur: In Poſnanienſi, Poſnania, Coſtenum, VVſchona: In Sendomirienſi, Sendomiria, Radomia, Opocinum, Chencini, Viſlicia, Pilſna: In Caliſſienſi, Caliſſia, Gneża, Pyſdri, Coninum, Kcina, Naclum: In Siradienſi Siradia, Schadcovia, Petricovia, Radomſci; Item Velunia & Oſtreſ-

ſovia:

ſovia: In Lencicienſi, Lencicia, Brezini, & Orlovia: In Breſtenſi, Breſte, Cruſuicia, Conale, & Prædecia: In Inovvladiſlavvienſi, ejuſdem nominis oppidum, & Bydgoſtia: itemq; Dobrinum, Ripinum, & Lipnum: In Ruſſica Leopolis, Præmiſlia, Sanocu, Halitia & Chelma: In Podolica, Camenecia, ac Trebovvlia: In Lublinenſi, Lublinum, & Lucovia: In Belſenſi, Belſum, Buſcum, Grodlum: In Plocenſi, Ploſcum, Plonſcum, Bielſcũ, Racianzum, Zavverze, Mlavva ac Srenſcum: In Maſonivia, Cyrſcum, Vizna, Varſavia, Nur, Vyſſegradum, Zacrocimum, Ciechanovia, Lonza, Zembrovia, Rozanum, & Liva: In Ravenſi Rava, Goſtinium & Sochaciovia. In Sileſia vero Oſuiencimenſe & Zatorienſe territoria ſuos utrunque peculiares habet judices, qui cum delectis de nobilitate jus dicunt, præfecto præſidente. Ad eundem modum & Sevorienſis, epiſcopi Cracovienſis ditio, ſuum habet. Olim in Sileſia ipſi duces in ſua quiſque ditione iudiciis præſidebant. His iudiciis diſceptantur pleræque omnes cauſæ nobilitatis privatæ ac civiles, quemadmodum loquuntur iureconſulti, ac civiliter inſtitutæ. Regundorum finium controverſia hoc ipſo quidem judicio primum diſceptatur inter equites, vel inter equitem & ſacerdotem:

Sed ad extremum ad Succamerarium terreſtrem remittitur: Qui in rem præſentem veniens, ipſe per ſe vel per vicarium ſuum camerarium illius territorii eum definit, certiſque metis atque ſignis fines controverſos deſignat. Atque hæc eſt unica Succamerariorum juriſdictio. Cæterum ſi cum regiis bonis equiti ſit controverſia, non apud terreſtre & Succamerarii judicium ea diſceptatur; ſed princeps equite poſtulante edit recuperatores aliquot de ſenatu ac terreſtribus magiſtratibus ſive officialibus ejus ſatrapiæ, in qua eſt controverſia: quos commiſſàrios appellamus. Inter quos etiam Succamerarius eſſe ſolet. Qui in rem præſentem venientes judicium id peragunt. Idem fit, ſi ſacerdotalis fundus & ager cum regio controverſos fines habeat: Niſi quod epiſcopus quoque ejus diœceſeos editis à principe recuperatoribus unum aut alterum de ſuis adjungit. Eademque ratio eſt petendi recuperatores à principe in cauſa herciſcundæ familiæ, ſive dividendæ hæreditatis inter fratres & propinquos. Quanquam hoc judicium etiam præfectus exercere poteſt. Criminales vero cauſæ de ſtupro, incendio, latrocinio, & vi armata alienis ædibus illata ad præfectorum ſive capitaneorum in ſua cuiuſq; præfectura judicium

dicium pertinent. Civiles item,quęcunque adverſus eos equites inſtituuntur, qui certos agros & bona terreſtria nulla habent, & qui, licet habeant obligatione tamen ſua ei foro obnoxios ſe fecerunt, aut merent publica ſtipendia, aut ſacris initiato homini damnum vel injuriam intulerunt, aut alienum adſcriptitium detinent,aut obſtaculis denique liberam fluvii navigationem impediverunt, aut ſi quis executionem rei judicatæ prohibeat. Dicit autem jus præfectus in arce, aut alio loco publico ſuæ quiſque præfecturæ,ſexta quaque ſeptimana per ſe ipſe, vel per vicarium ſuum judicem caſtrenſem. Atque hæ ſunt judicii caſtrenſis cauſæ. Officii vero ſunt,rerum iudicatarum executio: viduarum de bonis dotalibus eiectarum, & aliorum ſpoliatorum reſtitutio : Itemque in deprehenſos in ſcelere & recenti,ut dicunt,crimine,aut ſi quis rem alienam apud ſe deprehenſam non reddat domino repetenti: Ad hæc in turbatores conventuum & iudiciorum,& qui vetitis armis utuntur : in tolerantes cenſuras eccleſiaſticas ultra annum in iniuſtos teloniorum exactores, & in ſacerdotes, qui iuri patronatus profanorum hominum derogant, aut profanos præter ius ad forum eccleſiaſticum evocant,animadverſio.In

quibus cauſis quovis tempore cuivis querenti præſto eſſe debet præfecti au-ctoritas, per ſeipſum, vel per ſuppræfe-ctum ſuum: Cuius iuriſdictio ad cauſas officii pertinet, ſi præfectus ipſe ius non dicat. Denique furti ſuſpectos prehen-dendi, reoſque iudicandi, & ſupplicio af-ficiendi ius habet præfectus & ſuppræ-fectus eius. Equeſtres tamen non niſi eos, qui ter ab eodem crimine damnatis edi-ti, & in album furum relati ſunt. Porro ſtatus controverſiæ, hoc eſt, cum de ge-nere cuiuſquam ambigitur, & eæ cauſæ, quæ infamiæ, confiſcationis bonorum, vel capitis pœnam (præter eas, quas du-dum præfectis attributas eſſe expoſui-mus) annexam habent, atque etiam de cæde equitis, ad ſolius principis iudicium pertinent. De quibus is in comitiis de-mum cum ſenatu cognoſcit. Præter ſi maleficium in loco domicilii principis ipſius & ſub aſpectu eius patratum ſit. Tunc enim, ſi actor recenti & calenti, quod aiunt, facinore comprehendatur, abſque citatione princeps eum ipſe per ſe, vel per Mareſcalcum judicat. De per-ſonalibus vero cauſis civilibus, aut civi-liter inſtitutis, quæ alioqui ad forum ter-reſtre vel caſtrenſe pertinent, princeps itidem quovis loco ac tempore cum iis, quos ad manum habet, conſiliariis,

cita-

citatum iudicat. Quæ citatio curialis, & poſt curiam, vocatur. Sed eius uſus ita reſtrictus eſt, ut ea in minore Polonia contra eum, qui in maiore tantum agros ac domicilium habet, non valeat: neque contra. Id autem iudicium regiorum terminorum nomen habet. Vbi etiam in præfectos & adminiſtros ſuorum bonorum & redituum, quod ad munera eorum attinet, quicunque & undecunque ii ſint, princeps ipſe ſibi, inſtigatore, ut vocant, officii petente, & cuivis poſtulanti ius dicit: Ac de provocationibus quoque ab officio caſtrenſi ad ſe delatis cognoſcit. Iniuſtus tributi publici exactor etiam apud Epiſcopum, Palatinum, vel Caſtellanum loci recte convenitur. Belli autem & expeditionis publicæ tempore, cum ſilent omnia ſupramemorata fora, penes principem eſt ius omne, & iudicium eorum, quæ in caſtris & in ipſa expeditione flagitioſe aut ſcelerate admittuntur. De iniuriis quidem damniſque datis in expeditione bellica palatini vel caſtellani, cuivis querenti contra ſuæ quiſque ſatrapiæ vel territorii homines, ius dicunt. Si quis autem non pareat, principi deferunt. Ab omnibus porro iudiciis nobilitatis provocatio eſt ad principem: Niſi quod eæ, quæ fiunt à terreſtribus iudiciis, in colloquiis

lore & querimonia multorum, præſertim augeſcente indies cupiditate hominum, nullaque, aut exigua certe, temerē litiganti, & provocanti, & iniuſto iudici, pœna imminente. Vnde capitales exiſtunt inter neceſſarios quoq; & cognatos inimicitiæ, cædes innumerabiles patrantur, coactiſque hominibus & iuſtis prope exercitibus nonnunquam confligitur, dum offenſus longa iudicii comperendinatione, armis ius ſuum quiſque perſequi ac tueri contendit. Sed ad provocationes redeamus. Earum duplex eſt ratio. Eſt enim appellatio, qua inter litigantes ſolos diſceptatur, iuſtene an iniuſte iudicatum ſit. Motio vero eſt, in qua iudex à quo provocatum eſt, neceſſe habet tueri ſententiam ſuam, ut ſi iniqua & legibus adverſa fuerit, ipſe pudefiat, mulcteturque. Quod tamen iam ferme exolevit. Vtrobique autem Regio vel colloquiorum iudicio iniuſtum decretum reſcinditur, vel corrigitur, univerſaque cauſa diſceptatur ac diiudicatur, etiamſi ab interlocutoria ſententia provocatum ſit. Tametſi non temere admittitur eiuſmodi provocatio. Cognitionum quoque principis de provocationibus non una eſt ratio. Nam de iis, quæ fiunt à colloquiis, non niſi in comitiis cum frequenti ſenatu cognoſcit.

Ad eundem modum de iis etiam, quæ fiunt à terreſtribus iudiciis. Nam de iis quoque recte à rege cognoſcitur in comitiis, ſi prius ea inſtituantur, quam colloquia. Itaque indiſcriminatim provocari ſolet ad colloquia, vel ad comitia. De cæteris vero provocationibus, quæ fiunt ab aliis iudiciis, etiam extra comitia cognoſcit is cum iis conſiliariis, quos ad manum habet, quovis tempore & loco: ſed tamen intra fines regni modo. Foris enim nemo equitum ſiſtere ſe principi neceſſe habet ulla ex cauſa, exceptis fiſcalibus. Tam in comitiis autem, quam extra ea in iudiciis regiis, adhibentur in conſilium etiam ſupplicum libellorum magiſtri ſive referendarii: Itemque iudex, ſubiudex, & notarius eius ſatrapiæ ſive territorii in quo iudicium exercetur: præter, cum de provocatione ab ipſorum iudicio facta cognoſcitur: Habentque ii poſtremi omnium dictionem ſententiæ. Atque his fere foris atque rationibus nobilitatis iudicia peraguntur. Nam barbaricus ille mos, & à religionis Chriſtianæ inſtitutis alienus, provocandi adverſarium ad ſingulare certamen, & ferro uſque ad necem vel deditionem de iure & iniuria veroque & falſo decernendi, nihil habet commune cum iudicio. Quod tamen noſtra memoria ſemel

tan-

tantum à Sigiſmundo rege ſeniore admiſſum eſt. Cum autem liberrimus ſit nobilitati Polonæ armorum uſus, ad iudicium tamen terreſtre & caſtrenſe, & ad comitia nemini armato venire licuit antiquitus: Nunc ea lex propemodum obſolevit. Iudicatur autem nobilitas ſuis legibus, quæ paucæ ſunt, & conſtitutiones vel ſtatuta regni vocantur: (tametſi Maſovii peculiaria habent) vel moribus, vel ex æquo & bono, ſive adeo iudicum opinione. Magnam autem in iis iudiciis vim habet exemplum, & res in ſimili cauſa à principe iudicata. Permagnam item, ne dicam nimiam, iuſiurandum. Magnus eſt etiam uſus præconum, quos miniſteriales terreſtres appellant, magnaque eis fides habetur, itidem ac tabellionibus in iure civili Romano & pontificio. Sed ſunt ii fere illiterati, plebeii, & ruſticani homines, palatini vel delegati cuiuſpiam regii arbitrio, nec ſemper exquiſito delectu, creati. Verum in omni fere functione ſua unum aut alterum equitem teſtem adhibeant oportet. Actori nulla eſt pœna ſi cauſa cadat, vel eam non proſequatur: Ac ne litis quidem impenſas reus ſolvit. Reus condemnatus ſi iudicatum non ſolvat, multatur & pigneratur. Condemnatur autem actori in civili cauſa, quanticunque is

litem

litem jurejurando interpoſito æſtimaverit. Licet tamen judici ante jusjurandum ejus æſtimationem moderari. Si non paruerit rei judicatæ reus, condemnatur in duplum: quod per lucrum appellant: Prior enim condemnatio lucrum dicitur. Si duplum ad certam diem non exolverit, præfecti regii ejus territorii, in quo reus bona vel domicilium habet, opem actor implorat. Ex decreto autem præfecti bona rei poſſidenda ei traduntur, adjecta certa mulcta, quod vadium vocant, ſi is prohibuerit. Sin iterum id fecerit, duplicatur mulcta: Sin tertium, triplicatur, quæ vadia duplicata & triplicata appellantur. Quæ tamen ſublata jam ſunt. Et poſt interpoſitum unum vadium, reus, ſi pergat eſſe contumax, proſcribitur. Proſcriptus vero, ſi vi ſeſe nihilominus ſuaque tueatur, cuncta illius præfecturæ nobilitas contra eum armatur. Ac ipſe quidem prehenditur, bona vero ejus à præfecto poſſidentur, donec de reditibus eorum non modo judicatum, ſed multæ etiam & vadia ſolvantur. Indicta vero cauſa, hoc eſt, non citatum, neque convictum equitem, qui modo agri aliquid habeat, prehendere nulli magiſtratui, ac ne principi quidem licet, præter furem à ſervis pœnæ inter conſcios & complices ter

editum,

editum, aut in maleficio quovis deprehenſum, aut qui ſatiſdare nolit, vel non poſſit. Præfecto remiſſiori in executione rei judicatæ, pœna eſt abrogatio præfecturæ: Niſi forte eam oppignoratam teneat. Tunc enim centum marcarum multa ipſi à principe irrogatur, detrahenda de ſumma eius capitali, quoties officium ſuum non fecerit. Oppidanis vero & plebeiis magiſtratibus equitem etiam in ſcelere deprehenſum ſine præfecti auctoritate judicare omnino fas non eſt. Sed ſufficiant hæc nunc de judiciis nobilitatis. Neque enim omnem judiciorum rationem & formam perſequi hic nobis propoſitum eſt. Habet plebs peculiaria judicia, in pagis quidem ſimpliciſſima, quæ vel ab advocatis judiciariis, & ſcabinis, vel à ſcultetis, vel à præfectis ſive dominis, eorumve procuratoribus & adminiſtris, ſine ſtrepitu & figura iudicii exercentur. In urbibus vero & oppidis exactiora ſunt: quibus equites quoque, qui in iis domicilia & ius civitatis habent, ſunt obnoxii in cauſis civilibus duntaxat. Ea vero partim penes advocatum & ſcabinos, partim penes decuriones ſive conſules & magiſtratum civium ſunt, partim etiam penes magiſtros contuberniorum. Conſules ac magiſtri contuberniorum ſine ſtrepitu

&

& figura iudicii iudicant: Hi quidem ſinguli cum adiunctis ſibi primoribus ſive ſenioribus de levioribus cauſis ſui quiſque generis opificum: Conſules vero de quibuſvis, proprietatis modo & poſſeſſionis rerum ſoli, & hæreditatis, itemq; capitalibus atque ſanguinariis exceptis: Quæ ad ſcabinorum & advocati iudicium peculiariter pertinent. Parvi momenti cauſas etiam magiſter civium ſolus cognoſcit. A quo itidem, atque à magiſtris contuberniorum, ad conſeſſum conſulum eſt provocatio. Ab his porro ad regem. Inolevit tamen multis in locis mos, ut prius præfectus, vel qui præfecti loco eſt, appelletur, atque inde demum ad regem provocetur: Idq; de regiis modo oppidis intelligendum eſt. Nam quæ alii cuipiam ſubſunt, in iis provocationes fiunt ad eorum dominos: Ab iiſque ſine provocatione iudicantur. Sed ſi quis adverſus eum, qui ipſi non ſubeſt, iniuſte iudicaverit, ſive per ſe, ſive per vicarium & procuratorem ſuum, vocari poteſt eo nomine in ius, cui eſt obnoxius: Porro epiſcoporum & aliorum eccleſiaſticorum hominum ſubditis opem ſuperioris (nempe epiſcopi, vel archiepiſcopi, vel pontificis maximi) contra vim & iniuriam dominorum ſuorum implorare licet. In iurato autem iudicio

(ſic

(ſic enim vocatur id , cui ſcabini cum advocato iurati præſident) accuratior ſervatur proceſſus iudiciarius. Exerceturque id fere inter concives quintodecimo quoque die, niſi is feſtus ſit: Externis vero & hoſpitibus poſtulantibus quoties opus eſt, exponitur. Atque hoc quidem emptum dicitur, illud expoſitum. Eſt & tertium genus iudicii huius, quod magnum vocant, ac ter ſtatis anni temporibus ob graviores cauſas magiſtro civium præſidente exercetur. A iurato autem iudicio legitima eſt provocatio ad aliud quoddam iudicium primariarum urbium. Quod quidem duplex eſt, itidem ac leges, quibus oppidani & agreſtes fere utuntur. Neque enim iiſdem ii cum nobilitate legibus tenentur. Ac in Maſovia quidem , ubi ius Culmenſe viget, ad Varſavienſem, vel Plocenſem, hinc porro olim quidem ad Culmenſem, nunc autem ad Torunenſem in Pruſſia magiſtratum, atq; inde demum ad regem provocatur. In cæteris vero partibus Poloniæ, ubi iuris Teuthonici Magdeburgenſis uſus eſt, olim ad Magdeburgenſem civitatem provocabatur. Sed Cazimirus magnus rex aliud quoddam iudicium in arce Cracovienſi inſtituit, quod iuris ſupremi Teuthonici ſive Magdeburgenſis appellavit. In quo

advo-

advocatus cum ſeptem ſcabinis, magno procuratore eiuſdem arcis præſidente, non tamen iudicante, iudicant de provocationibus, quæ fiunt à iuratis quarumvis civitatum & oppidorum iudiciis. Inde vero provocatio eſt ad aliud iudicium, quod ſex civitatum dicitur. In quo eiuſdem Cazimiri inſtituto bini certorum oppidorum decuriones ſive conſules Cracoviam convenietes in arce ius dicunt ſine provocatione. De quo in hiſtoria fuſius perſecuti ſumus. Cognoſcit autem princeps de provocationibus iis, quæ ab urbanis & ruſticis iudiciis veniunt, & omnino de controverſiis plebeiorum ſuæ ditionis, atque etiam de querimoniis adverſus præfectos ſuos, ubi libet, etiam extra regnum, & cum quibus vult conſiliariis. Sæpe etiam conſiliariis & referendariis, aut ſecretariis earum cognitionem delegat, ſed ita, ut ipſe tamen ad extremum, iis referentibus ſtatum controverſiæ, decernat: præſertim ſi cauſa ad equitem pertineat. Soli Cracovienſes cives hoc præditi ſunt priviligio, quod à Senatu urbano non niſi ad principem eſt provocatio, & quod eius, itemque Cazimirienſis & Cleparienſis civitatum cauſæ ab eo non niſi Cracoviæ iudicantur. Habent & ſculteti ſive advocati hæreditarii pagorum & oppi-

dorum nonnullis in locis inter ſe peculiaria judicia. A quibus item ad jus ſupremum Teuthonicum, & inde ad ſex civitates, vel ad principem provocatur. Iure autem ſuo quiſque judicatur, præter, quod cauſæ cædis & vulnerum Polonico tantum jure judicantur: Quo reus actoris jurejurando peragitur. Ac in recenti quidem crimine comprehenſus, cædem capitis luit ſupplicio. Poſt interpoſitam vero viginti quatuor horarum moram, ad certam & lege conſtitutam capitis æſtimationem damnatur: quę diverſa eſt equitis ac plebeii: Pro plebeio capite partim domino ejus, partim liberis & hęredibus cæſi cedit multa: Pro equeſtri vero, ſolis liberis & hæredibus exolvitur. Equiti tamen pro equitis cæde ultra multam pœna eſt etiam carcer annuus. Sed Maſoviorum legibus carceris pœna ſolvitur is, qui profugus annum totum exulaverit. Cæterum plebeio equitem interfeciſſe capitale eſt, niſi tranſigat cum actore. Vulnerum certæ ſunt æſtimationes. Fit autem contemptu harum pœnarum, & capiendæ ex multa pecuniæ, ut crebreſcant magis indies jurgia cædeſque. Executio rerum judicatarum contra oppidanos & urbanos penes magiſtratum eſt in ſua quemque civitate, aut ſi is negli-

gat, domini vel præfecti auxilium imploratur. Et hactenus quidem de judiciis. Comitiorum ratio nobis deinceps exponenda eſt. Duabus autem de cauſis ea habentur: propter conſultationes de republica, & propter judicia. Cum enim Polonis, quemadmodum ſupra memoravimus, ea potiſſimum forma reipublicę placuiſſet, in qua penes unum quidem eſſet judiciorum & rerum omnium in bello & in pace ſumma, ſed ut is rerum agendarum & judicandarum conſilia, cum compluribus conſiliariis communicaret, hi porro cum propter alias functiones publicas, tum etiam propter curam rei ſuæ familiaris, ad latus principis aſſidui eſſe non poſſent, placuit, ut ii ad certum locum & diem convocarentur à principe, ad exercenda cum ipſo judicia, conſiliaque de republica capienda. Hæc ſunt comitia publica: Quæ etiam generales regni conventus vocant. Qui olim ſimplicioribus & melioribus ſæculis bidui vel tridui ſpacio peragebantur. Augeſcentibus deinde judiciis, & rebus agendis, extrahi cœpere in longius tempus comitia: Sic tamen, ut pro re nova & inſolita annotarit Ioannes Dlugoſſus, in nonum diem ea extracta eſſe. Atque hæc fuit vetuſtorum comitiorum ratio. Poſteriori tempore

pore, hoc eſt, avorum fere noſtrorum memoria, cum univerſa nobilitate, & una de omnibus civitate Cracovienſi, communicata ſunt comitia: cœperuntque adhiberi legati nobilitatis, ſive, ut vulgo loquuntur, nuncii terrarum, hoc eſt, ſatrapiarum atque territoriorum, & civitatis Cracovienſis, principio quidem unam ob rem, quemadmodum in hiſtoria ex Dlugoſſo retulimus: Nempe ſciſcendi in bellum tributi cauſa. Deinde vero, cum ſive incuria principum, ſive conſiliariorum conniventia, multa, quæ ad ſalutem & amplitudinem reipublicæ pertinebant, negligi, & nobilitatis prærogativæ minui viderentur, ad alias etiam conſultationes de republ. accedere cœperunt, non ut conſiliarii, ſed ut monitores principis atq; conſiliariorum, & cuſtodes libertatis, & prœrogativarum nobilitatis, ac legum publicarum. Laudabile ſane & ſalutare in primis genti Polonæ (ſi eo recte utatur) inſtitutum, & ad optime conſtitutarum olim rerumpublicarum Romanę & Lacedæmoniæ mores accedens: Quarum in altera Ephori, in altera Tribuni plebis, principum & potentium libidini inertiq; & inutili adminiſtrationi reipublicæ objecti erant. Nunc igitur ſine nuntiis terrarum non habentur legitima comitia. Atque eam

ob rem quoties ea debent inſtitui, indicuntur prius à rege nobilitati conventus, quos vocant particularés, ad certos dies certaq; oppida: Maioribus quidem Polonis, hoc eſt Poſnanienſis & Caliſſienſis ſatrapiarum equitibus, Srodam: Cracovienſi vero ſatrapiæ Proſſoviam: Sendomirienſi Radomiam: Siradienſi Schacoviam, excepto Velunenſi tractu, qui ſuum peculiarem conventum Veluni habet: Lencicienſi Lenciciam: Cuiaviis Radeoviam: Dobrinenſes tamen ſeparatim Ripini conveniunt: Ruſſis Viſnam; præter Chelmenſes, qui & ipſi Chelmæ ſuum habent: Podoliis Cameneciam: Lublinenſi ſatrapiæ Lublinum: Belſenſi Belſum: Plocenſi Razianzum in eodem tractu: Maſoviis Varſaviam: Ravenſi nobilitati Ravam: Sochacovienſi Sochacoviam: Goſtinenſi Gambinum. His igitur locis (niſi juſta cauſa obſtet) nobilitas cum conſiliariis & magiſtratibus terreſtribus, ſive, ut vulgo loquuntur, cum dignitariis & officialibus ejuſdem ſatrapiæ, vel tractus, ad templum convenit, & implorata ſacro publico ope divini numinis, legationem regiam audit, ubi, quando, & quibus de cauſis opus ſit haberi comitia: Deinde præeuntibus conſiliariis legatos ſuos ſive nuncios deligit, eiſq; vel peculiaria dat mandata

data ad comitia, vel univerſe poteſtatẽ facit curandi ea,quæcunque in commune è republica fore videbuntur. Lege autem ab hoc munere legationis excluditur, qui privatum habet negotium & litem in comitiis. Finitur nunciorum poteſtas unicis comitiis. Nec idem ſane eſt in omnibus ſatrapiis eorũ numerus: Verum pro numero territoriorũ eſſe debere exiſtimatur. Nunciis ita creatis in particularibus conventibus, mox inſtituuntur alii convẽtus, quos generales vocant. in maiore quidem Polonia Coli, in minore autem Corcini, quę etiam Novacivitas nuncupatur. Et ad hunc quidem Cracoviẽſis, Sendomirienſis, Ruſſicę, Podolicę, Belſenſis & Lublinenſis ſatrapiarum. Ad illum vero reliquarum proceres, & nuncii recens creati, ac de nobilitate qui volunt, conſtituta itidem à principe die conveniunt, auditiſque iterum mandatis regiis, mandata nobilitatis, & quæ poſtulat uſus reipublicæ, inter ſe conferunt. Atq; inde itur ad majora comitia. Quo ubi conventum eſt, re ſacra ſolenni itidem in templo publice peracta, itur ad aulam. Ibi principe & conſiliariis in corona conſidentibus, adſtantibuſque pone ſecretariis & nunciis, Cancellarius vel Procancellarius principis nomine proponit in medium, quibus de rebus in

commune conſuli operæpretium ſit: deinde conſiliarii ab archiepiſcopis & epiſcopis orſi, ordine dicunt ſententias. Hinc nuncii petita à rege venia ſecedunt in aliud conclave, iiſdem de rebus inter ſe conſultaturi. Reverſique ſive eadem, ſive alia die, per unum aliquem exponunt id, quod ipſis in commune viſum eſt, quid probent, quidve requirant. Nonnunquam pluribus mandant, ſi plura ſint negotia proponenda, ut ſuum quiſque ediſſerat. Non modo enim iis de rebus, quæ principis nomine propoſitæ fuere, ſed etiam ſi quid aliud ipſis in mentem venit, de republica poſtulant vel admonent. Id vero ſi eſt ejuſmodi, ut conſultationem requirat, & ab eorum functione non alienum eſſe videatur, dicuntur etiam de eo ſententiæ à ſenatoribus, excluſis nunciis: interdum etiam non excluſis. In omnibus autem conſiliis poſtremus omnium dicit princeps. Et quod ei placuit, decreti comitialis & legis habet vigorem, dummodo prioribus legibus, nobilitatiſque aut ſacri ordinis prærogativis ne adverſetur. Tunc enim refragari placito principis non ſolum ſenatui, ſed etiam nunciis fas eſt. Itaque in ejuſmodi conſultationibus ſuſpendit fere ſententiam ſuam rex, donec inter nuncios & ſenatores majoremve eorum

par-

partem conveniat. Sed hoc jam aliter modificatum eſt. Cætera autem conſilia de republica, quæ legibus diſerte excepta non ſunt, nec prærogativis nobilitatis præjudicant, cum ſenatu ſolo princeps communicat. Quemadmodum judicia quoque cum eo ſolo exercet, minimum biduo vel triduo ſingulis hebdomadis per tempus comitiorum. Sed interdum ea delectis aliquot è ſenatu delegat. Atque ii quotidie fere, feſtis diebus exceptis, judicant. Verum ab his quoque aſſeſſoribus (ſic enim vocantur ii judices) ad regem provocatur. Atque ii ſtatum controverſiæ cujuſque, decretumque ſuum, in conſeſſu reliqui ſenatus exponunt. Sententias tamen denuo non dicunt. Publicarum inter ſacrum & militarem ſive equeſtrem ordinem controverſiarum arbitrium atque tranſactio penes Regem eſt. Comitia quotannis, niſi quid forte impediat, inſtitui uſitatum eſt. Nihil tamen prohibet, quo minus, vel rarius, vel crebrius inſtituantur. Crebrius quidem ut id fiat, requirit judiciorum & provocationum diſceptandarum multitudo: Tametſi extrahuntur ea nonnunquam in quartum & quintum, ac ſextum fere menſem. Locus certus comitiis habendis

olim nullus erat. Sed ubi principi collibuerat, etiam ſub dio & in territoriis ea peragebantur. Poſtea lege in unum concluſa ſunt oppidum, in umbilico fere & meditullio totius Poloniæ ſitum Petricoviam. Sed ea jam inde nova lege in gratiam Lituanorum Varſaviam translata ſunt. Poteſt tamen Rex aſſentiente ſenatu, iuſta aliqua de cauſa alibi quoque ea inſtituere. Nec illud prætermittendum eſt, Quod initio comitiorum nuntiis nobilitatis ſingulis certa pecunia in victum de publico numeratur. Senatoribus non item. Cæterum non venienti ad comitia ſenatori ſine juſta cauſa, lege multa irrogatur: Sed ea vix unquam à rege exigitur. Habet eccleſiaſticus quoque ordo in Polonia ſua comitia: quæ ſynodi græco, ſed latinis non inuſitato, nomine appellantur. Quarum cauſas & univerſam rationem è jure pontificio petat, qui volet. Hic illud modo annotandũ eſt, quod licet Archiepiſcopus Leopolienſis ſuam habeat provinciam à Gneſnenſi diſtinctam, tamen & ipſe, & ſocii, vel, ut vocant, ſuffraganei ejus Epiſcopi, Gneſnenſis Archiepiſcopi auctoritatem agnoſcunt, cum in provocationibus & judiciis, tum in Synodis: Ad quas ab illo evocantur. Eſt autem jus, moſque, Petricoviæ, Lenciciæ, aut Loviciæ provincia-

vincialem ſynodum tertio quoque anno, niſi res majorem celeritatem, aliumve locum epiſcoporum conſenſu poſtulet, inſtitui; & adhiberi in conſilium abbates & præpoſitos monaſteriorum, & collegiorum ſacrorum primariorum (quæ capitula cathedralia vocantur) legatos binos, vel ſingulos duntaxat. Sed nos à ſynodis & comitiis ad bellum transeamus. Id autem in hac gente à nobilitate geri uſitatum & legitimum eſt antiquitus: Quæ cuncta equeſtris militat, quemadmodum antea diximus, idque pro modo bonorum & redituum facere debet. Sed cum nulla publice inſtituta ſit bonorum æſtimatio, modus hic fidei cujuſque creditus, labente in deterius diſciplina & fide, arbitrarius factus eſt, non ſine reipublicæ totius incommodo & injuria. Arbitrarium eſt genus armorum. Tenuiores, & qui equum alere non poſſunt, pedeſtres militant. Sculteti quoque ſive advocati hæreditarii, & quicunque fundos terreſtres hæreditarios habent, non ſunt immunes à militia. Multatur autem agris & bonis omnibus, ſi quis paterfamilias à bello abſfuerit, aut filium adultum, fratremve, qui ipſe ſeparata bona & militandi neceſſitatem non habeat, pro ſe non miſerit. Cæterum pupillis impuberibus,

ægrotis ſenio confectis, & viduis, per neceſſarios & famulos militiam obire licet. Habent autem vacationem militiæ tribuni terreſtres, præfecti arcium in finibus regni ſitarum, vicarii cæterorum præfectorum juriſdictionem habentium, vicecapitanei & burggrabii: & qui reipublicæ cauſa abſunt. Habet item ordo cunctus eccleſiaſticus, præter eos ſacerdotes, qui bona terreſtria hæreditario, ſeu alio quovis, quam ſacerdotiorum jure & nomine obtinent. Evocatur ad bellum nobilitas antiquo more, dimiſſis quoquoverſus per præfecturas literis ſigno regio conſignatis: Quæ deinde in pertica reſti alligatę (unde reſtium nomen acceperunt) à præconibus ſive miniſterialibus terreſtribus ad dignitarios & officiales, ſive magiſtratus, primoreſque nobilitatis cujuſque præfecturæ, ſublimes & conſpicuæ circumferuntur, & in foris urbium & oppidorum alta voce publicantur. Ter autem id fieri oportet, interpolatis quaternis ſeptimanis: Niſi decreto comitiali tempus id accidatur, binæq; reſtes conjungantur. Poſt tertias demum reſtes domo ſe quiſque movet ad ſuæ ſatrapiæ conventum ad certum locum certamque diem indictum. Inde porro auctore ac ductore palatino cum ſui quiſque territorii Caſtellano ad conſtitu-

ſtitutum à principe prope fines regni locum pacati proficiſcuntur. Verum hoc quoque, ut alia nonnulla recte à majoribus inſtituta, augeſcente indies equitum licentia, conniventiaque magiſtratuum, in deſuetudinem abiit, magno non modo ſacerdotalium, verum etiam regiorum, & ipſius nobilitatis prædiorum, & adſcriptitiorum incommodo damnoque. Neceſſe autem habet princeps equeſtris ordinis homines ab hoſtibus in bello captos redimere, ac damna amiſſorũ equorum, quę ii extra fines regni acceperint, exolvere. Captum vero hoſtem, nobilem præſertim, is qui cepit, principi tradere debet, acceptis pro eo duobus florenis. Vſu venit nonnunquam, ut hæ copiæ dividantur à principe de ſententia ampliſſimi conſilii, ac cæteris quidem adverſus hoſtem proficiſcentibus, unius aut alterius ſatrapiæ nobilitas, vel plurium, ſi opus ſit, ad præſidium ejus oræ, unde item belli aliqua eſt ſuſpicio, relinquatur. Hæc eſt apud Polonos belli gerendi ratio: Hoc robur militiæ in equitatu ſitum. Hæ ſunt opes & vires gentis: hæ copiæ externis pene incredibiles, & cum quibuſvis maximarum gentium opibus ac divitiis comparandæ: quibus olim principes Poloni res magnas & præclaras geſſerunt, non domi modo

illa-

illata bella propulſando, ſed foris etiam hoſtes ulciſcendo, fines imperii longe lateque proferendo, & amicis atque ſociis ſuccurrendo. Sed cum abuterentur ii nonnunquam obſequio nobilitatis, eamque crebrorum ac diuturnorum, minimeque neceſſariorum bellorum incommodis exercerent, lege cautum eſt, intra hos ducentos annos, ut ne liceat regi bellum facere ſine comitiis & aſſenſu ampliſſimi conſilii: & ut nobilitas fines quidem regni, quoties, & ubi opus eſt, abſque ullo ſtipendio tueri neceſſe habeat, non ſine principe tamen, præterquam in interregno. Cęterum extra fines ne ad ullam militiam educi poſſit invita, niſi acceptis à rege in quemlibet haſtatum equitem quinque marcis, quod perinde eſt hoc tempore, ac quinque coronati Gallici vel Italici. Peditatus nullus eſt fere apud Polonos præter mercenarium, ſi quem princeps conduxerit. Mittunt quidem ei oppidani currus commeatu onuſtos cum peditibus: Verum is peditatus non multus eſt, & ſternendis muniendiſque viis, quam armis tractandis accommodatior. In extrema tamen neceſſitate & graviori bello, evocata ad expeditionem nobilitate, oppidani quoque & agreſtes decimum quenque peditem decreto comitiali armant &

expe-

expediunt. Cum autem lentior ſit expeditio hæc univerſa, & nonnunquam civibus & amicis magis, quam hoſtibus incommodare ſoleat, excogitata eſt ratio conducendi militis mercenarii pedeſtris & equeſtris, ad ſubitarias Tartarorum & aliorum hoſtium excurſiones reprimendas, expugnandas munitiones, & alios militares labores ſubeundos aptior & promptior. Quæ copiæ pariter cum decanis, centurionibus, turmarum & cohortium ductoribus, tribuniſque militaribus ab alterutro duce exercitus longe laxiori poteſtate, & ſeveriore diſciplina, quam in expeditione publica reguntur. Eſt autem ſtipendium trimeſtre in equitem quidem ſenum, in peditem vero quaternorum florenorum antiquitus conſtitum. Perexiguum id ſane eſt, niſi in magna alioqui rerum omnium ad victum paſtumque pertinentium copia & utilitate; longe levius etiam pretium rebus venalibus bellica lex imponeret, & charitas patriæ, ſtudiumque bellicæ virtutis & gloriæ, & ſpes adipiſcendorum publicorum honorum magis, quam ulla merces juventutem multitudine & otio abundantem ad facienda ſtipendia excitaret. In hoc vero ſtipendium publice confertur pecunia, tributo, quam exactionem vulgo vocant, agreſtibus ac oppi-

oppidanis, regi iuxta ac nobilitati ſubjectis, imperato. Quo illi non inviti agrorum domorumq; ſuarũ vexationem redimunt, ſi modo redimunt; mercenariorum etiam militum, non contentorum ſtipendiis ſuis, licentia & rapacitate indies magis ac magis progrediente, & nec ſacerdotum nec nobilitatis, atque adeo neque regis ipſius bonis abſtinente. Id autem tributum ex agris quidem in laneum ſeu manſum, (certus agri modus eſt:) ex oppidis vero oſtiatim penditur. Quinetiam venalis cujuſlibet potus nomine in oppidis juxta ac in pagis penſitatur. Pendunt & molitores de moletrinis quiddam: & ſculteti ſive advocati de ſuis agris, itemque equites ii, qui nullos habent adſcriptitios, & plebeii, qui neque domos, neque agros habent, & arte aliqua vel opera ſua victitant. Doctores, magiſtri, & ſcholaſtici, & qui literarum doctrinæque ſtudiis vacant, immunes ſunt. Eſt & aliud quoddam tributum, in magna neceſſitate aliquando plebi univerſæ, exceptis ſcholaſticis, imperatum: Quod quia de ſingulis capitibus pendebatur, capitale dictum eſt. Imponit nonnunquam & ipſa ſibi nobilitas cum rege & proceribus tributum de agris, vel de cenſibus ſuis penſitandum, ſi uſus & neceſſitas poſtulet. Non niſi in

comi-

comitiis autem hæc tributa ſciſcuntur ac decernuntur, & quidem conſentientibus conſiliariis pariter & nunciis terreſtribus. Cæterum eccleſiaſticus ordo una cum bonis & hominibus ſuis jam inde ab initio ſuſceptæ religionis Chriſtianæ, non modo militiæ perpetuam, ſicuti ſuperius attigimus, vacationem, ſed tributorum etiam publicorum immunitatem habet in Polonia. Verum ipſe ſuperiori tempore in oppidanos & agreſtes ſuos tributis, quæ cæteris imperantur, ultro reipublicæ gratia ſubjecit. Nunc jam pro lege habetur, ut quoties regiis & equitum ſubditis tributum imperatur, nec hi exortes ſint. Penſitant ipſi etiam nonnunquam ſacerdotes cum Epiſcopis rogati, urgente neceſſitate, & charitate patriæ ſuadente, de ſuis ſacerdotiis certam redituum ſuorum portionem. Quam penſionem contributionem appellant. Eius vero decernendæ jus eſt penes ſynodum provincialem. Exigendæ vero penes eos, quibus epiſcopi cum primario ſuo collegio in ſua quiſque diœceſi mandaverit. Superiorum autem illorum tributorum, quæ plebi atque etiam nobilitati imperantur, exactio plerunque regis arbitratu, nonnunquam de ſenatus atque nunciorum ſententia, per ſatrapias compluribus imponitur:

Nec

Nec diutius id munus durat, quam ipſum tributum. Diſpenſatio penes regem fere & theſaurarium regni manet. Nonnunquam tamen & ipſa aliis comitiorum decreto mandatur. Dum hæc recognoſcimus, excogitata eſt nova ratio comparandæ in defenſionem regni militemque mercenarium pecuniæ. Rex enim benigniſſimus Sigiſmundus Auguſtus quartam partem redituum regiorum in eum uſum perpetuo reipublicæ conceſſit. Quæ pacis tempore in fiſcum, in arce Ravenſi conſtitutum, deponitur. Atque hæc habuimus in præſens, quæ de ratione belli, ac de univerſa republica Polonica in medium afferremus. Si quid præterea requiritur, è recentioribus comitialibus conſtitutionibus petatur. Pruſſia Regia nobis reliqua eſt, quæ quamvis eodem cum Polonis regno contineatur, tamen quia peculiare conſilium publicum, peculiares leges, peculiaria judicia & comitia, æerariumque, & belli gerendi rationem à reliqua Polonia diverſam habet antiquitus, de his nunc ſeparatim perſequamur. Nec abs re fortaſſe fuerit ſi de Ducali quoque obiter attingamus. Igitur ea pars Pruſſiæ quæ nunc ducalis dicitur, ex eo tempore, ex quo devictis barbaris populis ſub jugum Chriſti miſſa eſt, ſimul cum epiſco-

pis

pis ſuis Sambienſi & Pomeſanienſi ad noſtra uſque tempora ordini Teuthonicorum Crucigerorum, qui ſe de hoſpitali S. Mariæ militiæ Hieroſolymitanæ dixere, paruit. Cujus ordinis præſes Magiſter generalis, ſocii vero adminiſtrationis, & præfecti territoriorũ præceptores & commendatores appellati ſunt. Qui cum pro amicis & ſociis, Polonorum hoſtes facti eſſent, armis eorum adacti quodam tempore, una cum epiſcopis in verba regis Poloni jurarunt, & aliquandiu majeſtatem ejus comiter conſervarunt. Sed cum id deinde aliquoties, & ad extremum noſtra memoria Alberto Marchione Brandegurgenſi Magiſtro, viro excelſi animi, & rei militaris perito, auctore detractaſſent: Sigiſmundus rex ſenior, ut ſe & poſteros ſuos illa perpetua defectionum bellorumque moleſtia liberaret, & Poloniæ Lituaniæque tranquillitatem majorem præſtaret, fractis iis bello, & ad neceſſitatem deditionis redactis, & partim decedentibus è Pruſſia, partim habitu & religione abjecta manentibus, illum ipſum Albertum ſororis ſuæ filium ſingulari clementia pro Magiſtro ducem in Pruſſia juſſit eſſe, hæreditariumque principatum ipſi cum fratribus & poſteris eorum maribus attribuit, ea lege, ut ii in

verba regis Poloni ritu ſolenni jurarent: cum centum equitibus haſtatis, quoties & ubi uſus poſtularet, ei militarent: & in ſenatu regni locum haberent itidem ac Magiſter habuiſſet. Extant pacta conventa. Ex eo igitur tempore pars illa Pruſſiæ ampla & copioſa, duarumque epiſcoparum ſuppreſſione auctior, ſub duce eſſe cœpit, ſummam omnium rerum poteſtatem rege tamen Polono obnoxiam habente, & arbitratu ſuo conſiliarios, ſibi legente, & prefecturas, ac magiſtratus mandante. Vtinam quidem is ſacra intacta reliquiſſet. Nec plura nunc de ducali Pruſſia. Regia vero, ex quo à Crucigerorum imperio ad Polonum nomen (unde fere detracta erat) ante centum annos ſeſe recepit, recepta ea quidem eſt à Polonis in ſocietatem juris & reipubl., ſed leges tamen ſuas & inſtituta à Teutonibus fere hauſta, vel poſt ſubactos & ferme extirpatos priſcos & barbaros Pruſſos deductione coloniarum è Germania importata retinuit. Conſilium quoque à ſenatu regni ſejunctum obtinuit. Habuit etiam initio ſuum gubernatorem, à rege datum. Sed poſtea ſuppreſſus eſt hic magiſtratus. Vtitur autem omnis ferme Pruſſia ducalis juxta ac regia, jure municipali, quod Culmenſe vocatur. Quod tamen non ſatis certum

eſt

eſt in hanc uſque diem. Eruitur id quidem è tenebris & colligitur, ſed nondum in lucem prodit. Solç Elbingenſis, Brunſbergenſis & Fraumburgenſis civitates Lubecenſe amplexæ ſunt, vel ſecum fortaſſis attulere. Et quoniam utrumque id paucis capitibus continetur, in cæteris recurritur ad Saxonicum & Magdeburgenſe: indeque etiam ad Romanum, quibus de rebus, neque Culmenſi aut Lubecenſi, neque Magdeburgenſi & Saxonico jure, neque plebiſcitis civitatum, aut conſtitutionibus regiis cautum eſt. Dedit enim conſtitutiones & leges quaſdam ſapientiſſimus rex Sigiſmundus ſenior, partim toti Pruſſiæ regiæ, partim Gdanenſi civitati peculiariter. Eaſq; auxit optimus ejus filius Sigiſmundus Auguſtus, cum in ea urbe eſſet ante annos duos & viginti. Quibus conſcribendis nos adfuimus. Non ita pridé etiam, cum idem rex comitiali decreto clariſſimos & prudentiſſimos aliquot ſenatores ad Elbingenſem & Gdanenſem civitates corrigendorum quorundam erratorum & abuſuum cauſa cum ſumma poteſtate delegaſſet, condiderunt ii leges nonnullas, rebus, locis, atq; temporibus accommodatas. Quas nuper is qui fuit princeps ejus legationis, vir ampliſſimus, Staniſlaus Carncovius. VVladiſlavienſis

Epiſcopus in lucem edidit. Vectigalia regia non ampla ſunt in Pruſſia: Eaque proveniunt potiſſimum è civitatum penſionibus, agris & prædiis inſulanis, & præfecturis: Quarum tamen pleræque donationibus, venditionibus, & hypothecis in impendia bellorum ſuperioribus temporibus acciſę, aut prorſus alienatæ ſunt. Quod itidem aliis quoque vectigalibus in civitatum jus tranſlatis factum eſt. Verum ea detrimenta crebris tributis, populariter in gratiam regis ſcitis vel decretis, ſuperiori tempore compenſabantur. Metallorum ea regio ferax non eſt: Fruges non maligne profert, & linum, & lupulum: eaſque merces trans mare mittit. Mittit & materiam fabricandis navibus & vaſis, exornandiſque domibus aptam, & ceram, & cinerem, & bubula coria, imo & carnes. Sed hæc ei fere ſuppeditat Ruſſia, Samogitia, & Lituania: Quin & frugum, & aliarum rerum ad victum pertinentium majorem copiam eædem regiones, & Maſovia cæteraque Polonia ratibus & navibus fluviatilibus ſubminiſtrant. Accipit autem ea viciſſim tranſmarinis commerciis vina, oleum, aromata, ſaccarum, ſal, & alia condimenta menſarum; telam etiam & pannos laneos juxta ac ſericeos, & quas præterea mittit Luſitania

nia & India dives cupedias. Eaque omnia Polonis & Lituanis Pruſſia tranſmittit. Hinc eſt vulgo ſimul & nobilitati res lautior, veſtituſque & habitatio cultior. In victu quidem frugalitas priſca adhuc ferme retinetur. Vtinam compotationes eſſent moderatiores. Sed eſt in commune vitium Septentrionalium populorum. Eæ tamen compotationes Pruſſis ordeacea cereviſia craſſiore ferme peraguntur. Vini non magnus eſt uſus. Diſtinguuntur Pruſſi, itidem ac Poloni, ſacro & profano ordine: nobilitate ac plebe. Sed paulo meliore eſt conditione plebs in Pruſſia, quam in reliqua Polonia. Eodem quidem cum nobilitate jure, & iiſdem legibus utitur, prærogativis modo quibuſdam inferior: per quas tamen plebeii neque à bonis terreſtribus, neque ab honoribus & magiſtratibus, neque à ſacerdotiis, neque à conſilio publico arcentur. Nec nobilitas modeſta & frugalis eos dedignatur. Quin decedit ea quoque una cum ſacro ordine nonnihil de immunitate ſua, reipublicæ & concordiæ gratia. Sacerdotibus juſtus honos habetur, à catholicis præſertim. Monachi & monachæ, cum noſtra memoria præſultore Luthero domicilia ſua reliquiſſent, manent ea etiam nunc propemodum vacua & ruinoſa,

 ali-

aliquot exceptis: quæ ſane infrequentia ſunt, & incolentes ea contemptibiles. Regis poteſtas in Pruſſia minus eſt reſtricta, quam alibi. Senatus conſtat duobus Epiſcopis, tribus Palatinis, totidem Caſtellanis, totidem Succamerariis, & tribus primariis civitatibus: quarum non mediocris eſt potentia. Earum vero bini conſules legati ſive nuncii pro ſingulis habentur, & alternis dicunt ſententias. Epiſcopi ſunt, princeps, ſenatus, & moderator Varmienſis. In qua epiſcopa mePius ejus nominis quintus pontifex maximus, ultro petente D. Sigiſmundo Auguſto rege, ampliſſimo Cardinali Staniſlao Hoſio (ipſo libentiſſime aſſentiente) ante ſex annos, Coadjutorem, ut vocant, dedit, ſucceſſoremq; deſignavit, & collegium ſacrum acceptavit. Sed revertamur ad inſtitutum. Eſt ergo princeps ſenatus Pruſſicis Varmienſis Epiſcopus: Huic proximus Culmenſis, qui olim eum anteibat: Quorum hic Teutonum Crucigerorum opera quodam tempore de Gneſnenſi provincia detractus, Rigenſi addictus fuit, vehementer acciſis reditibus & epiſcopa, eccleſiaque in ditionem ordinis ipſius redacta: Ille vero Varmienſis, inquam, initio quidem Rigenſis Archiepiſcopi metropoliticam auctoritatem agnovit. Nunc vero à permultis

multis annis in nulla provincia cenſetur, & ſoli ſubeſt in rebus eccleſiaſticis Romano pontifici: Magiſtri & ordinis dominatum nunquam agnovit: amicitiam & ſocietatem, cum & ipſe plerunque Germanici eſſet ſanguinis, libenter coluit: nec ſine malo ac detrimento ſuo & eccleſiæ ſuæ. Ad regnum vero Poloniæ ante centum annos certis pactis cum rege Cazimiro initis ſeſe adjunxit. VVladiſlavienſis Epiſcopus habet non contemnendas poſſeſſiones in Pomerania. Atque ea tota ferme in diœceſi ipſius eſt, indeque Pomeraniæ quoque Epiſcopi titulum is uſurpat, ſed ad Pruſſicum conſilium non pertinet. Palatini ſunt, Culmenſis, Marieburgẽſis, qui ante hac Elbingenſis dictus fuit, & Pomeranicus: Caſtellani, Culmenſis, Elbingenſis, & Gdanenſis: Succamerarii itidem atque Palatini: Civitates, Torunenſis, Elbingenſis, & Gdanenſis, in ſingulis ſatrapiis ſive palatinatibus ſingulæ, eundem ordinem ſervantes inter ſe in conſilio, quem ſui Palatini. Hoc eſt, concilium Pruſſicum. Conſiliarios terrarum Pruſſiæ vocant: Quos & ipſos more aliorum juratos eſſe oportet. Varmienſis tamen Epiſcopus diverſam ab aliis juriſiurandi rationem & formulam pacto præſcriptam habet. Nam is, ſi Rex eſt in Pruſſia, ipſo

O 4 præ-

præſente. Sin minus, nonnullis magiſtratibus Pruſſicis ad id delegatis in arce Mariebürgenſi, præeunte verba aliquo Epiſcopo, jurat. Civitatum delegati injurati ad conſilium admittuntur, aliquone privilegio, an per abuſum, neſcio. Habent autem conſiliarii Pruſſici ſua loca, & jus dicendæ ſententiæ in ampliſſimo totius regni Polonici conſilio. Verum ea loca ante aliquot annos poſt auctum Lituanorum acceſſione ſenatum aliqua ex parte variata ſunt, ita tamen, ut nihilominus Epiſcopi inter Epiſcopos, Palatini inter Palatinos, Caſtellani inter Caſtellanos conſideant. Ad calcem operis hujus ea ſingula ſecundum novam conſtitutionem Comitialem inter alios notata ſunt. Palatinorum juriſdictio & auctoritas in Pruſſia major eſt, quam in cætera Polonia: Penes eos ſunt multæ & ſupplicia delinquentium, rerumque judicatarum executio. Tranquillitatem quoq; publicam in agris & extra urbes ii præſtant. Caſtellani & Succamerarii eodem ſunt jure, quo in Polonia. De Epiſcopis paulo poſt dicemus. Præter hos autem magiſtratus, habent Pruſſi theſaurarium, præfectos arcium, ſive capitaneos, gladiferos, judices, & ſcabinos: verum ii non pertinent ad conſilium. Theſaurarius eſt, qui pecuniam omnem

& rationes à præfectis & adminiſtris regiorum bonorum & proventuum, atque etiam tributorum publicorum exigit, & vel ipſe adminiſtrat vel theſaurario regni tradit. Olim is œconomus fuit ſeu procurator Marieburgenſis. Gladiferos ſingulos habent Culmenſis & Pomeranicæ ſatrapiæ. Iudices novem ſunt. In Culmenſi quidem & Marieburgenſi ſatrapiis ſinguli : in Pomeranica vero ſeptem, nempe totidem, quot territoria. Sunt autem ea, Slochovienſe, Tucholienſe, Suecenſe, Derſavienſe, Zucovienſe, Puſcenſe, & Mirachovienſe: habentque ſinguli judices in conſilio ſcabinos juratos aliquot. Præfecti, arcium & redituum regiorum in ſua quiſque præfectura curam & adminiſtrationem habent: Iuriſdictionem nullam ferme habent, præſertim in nobilitatem, neque in oppidanos amplam : In agreſtes ampliorem. Solus Marieburgenſis neque redituum regiorum curam gerit, neque in agreſtes juriſdictionem habet: arci modo præeſt, ejuſq præſidio: quod perpetuum eſt. Cęterum conſtitutione quadam, ampliores is cæteris præfectis & magiſtratibus prærogativas habet, velut generalis locum tenens regis in Pruſſia. Redituum vero & ſubditorum regiorum, & ſartorum tectorum eius ipſius arcis cu-

rationem habet theſaurarius. Igitur primaria totius Pruſſiæ præfectura Marieburgenſis eſt: Cui Polonus antiquitus præficitur. Nunc primus de Pruſſis, è Polonia tamen oriundus, ei præeſt, vir vigilantiſſimus, & omni genere virtutũ ornatiſſimus, mihiq; amiciſſimus, Ioannes Coſtka, nuper, dum hæc nos recognoſcimus, Palatinus Sendomirienſis à novo rege Henrico creatus. Secundum hanc in eadem ſatrapia ſunt hæ præfecturæ, Stumenſis, Gnevenſis, Novenſis & Stargardenſis ſive Starigrodenſis. In Culmenſi, Brodnicienſis, Grudentina, Radinenſis, Golubenſis, Rogoznenſis, Bratheinenſis, Covalienſis, Coprivvnenſis: In Pomeranica, Slochovienſis, Suecenſis, Tucholienſis, Derſavienſis, & Puſnenſis. Torunenſem vero, Elbingenſem, & Gdanenſem prefecturas civitates ipſæ ſibi regia indulgentia & ex pacto vendicarunt, & per magiſtratus urbanos adminiſtrant. Epiſcopi cum collegiis ſuis ſuos & ipſi habent arcium atque territoriorum præfectos, quos fere burggrabios vocant, ſuoſque judices & advocatos, & oppidanos magiſtratus. Habent & Cancellarios, & officiales ſuos in cauſis eccleſiaſticis uterque Epiſcopus. Habent enim utramque juriſdictionem & ampliſſimam poteſtatem in ſuos. Varmienſis

mienſis quidem epiſcopa in nulla cenſetur ſatrapia: Vno autem & non interpolato ambitu, in modum principatus, bona certis finibus peculiariter circumſcripta & arcibus atque oppidis exculta habet: Eaque ſic diviſa, ut duas partes Epiſcopus, tertiam collegium ſive capitulum obtineat. In his utriq; ſubjectam nobilitatem habent, & liberam juriſdictionem, ab omni Regiorum magiſtratuum juriſdictione exemptam. Præterea pertinet etiam Elbingenſis civitas cum ſuo territorio ad Varmienſem diœceſim: Quamvis jam aliquandiu hæretica labe infecta conniventibus regibus ab eccleſiaſtica epiſcopi juriſdictione ſeſe ſubtrahere nitatur. Bartena quoq; terra & Natangia ante cc annos ejuſdem epiſcopi juriſdictioni ſubjectæ fuiſſe, & ſupra ſex millia manſorũ tunc Epiſcopo Varmienſi per fraudem & injuriam Cruciferorum detracta eſſe memorantur. Subditi epiſcopi & collegii Varmienſis eodem, quo cæteri Pruſſi, jure municipali utuntur: Sed habent etiam peculiaria, inter ſe autẽ cõmunia inſtituta: quæ *Landtz ordnung*, hoc eſt, terrę conſtitutiones, vocãt. Conventus etiam communes habet. Ad eos autẽ nobilitas, civitates, & ſculteti cum liberis (de quibus poſtea dicemus) evocatĩ, pro ſe quiq; binos vel plures etiã è ſingulis terri-

territoriis procuratores ſive legatos mittunt iis de rebus, quæ in conſultationem veniunt, cum epiſcopo & legatis collegii conſtituturos. Cęterum ea nobilitas omnis, & advocatus, & civitates, præter juſiurandum, quo partim in epiſcopi, partim in ſacri collegii verba jurant, novo quoque regi, ac deinde decimo quoque anno ei ipſi ex pacto fidem ſuam obſtringunt. Tametſi de decimo anno in deſuetudinẽ abiit, ſublata cauſa, hoc eſt, pacatis prorſus rebus Pruſſicis, & extirpato ordine Teuthonicæ militiæ. Iurant etiam Sacerdotes, quando certum aliquod ſacerdotium adipiſcuntur: Primarii tamen, qui Prælati & Canonici cathedrales appellantur, intra menſem, poſteaquam in id collegium cooptati ſunt. Sed hæc Regum fortaſſis indulgentia pacatis prorſus rebus Pruſſicis in deſuetudinem abiere. Eos autem pontifex quidem maximus creat, collegium vero una cum Epiſcopo eligit alternis menſibus: Excepto Præpoſito, qui a Rege editur, ſive præſentatur, ab epiſcopo præficitur. Sed neque is, neque cæteri tres prælati locum & ſuffragium habent in collegio, ſive capitulo, niſi ſint etiam canonici. Culmenſis eccleſiæ collegium ad quatuor canonicos redactum eſt. Qui ſinguli à cæteris una cum epiſcopo cooptan-

optantur. Ipſe autem epiſcopus à ſolo rege deſignatur, à pontifice maximo creatur. Cæterum Varmienſis ex pacto recentiori è quatuor canonicis indigenis à rege propoſitis, unus ab ejus ipſius eccleſiæ collegio deligitur: deinde hic quoque à pontifice renunciatur, & confirmatur. Ac tum demum ſacris pontificalibus ad præſcriptum eccleſiaſticorum canonum initiatur. Magiſtratus terreſtres in Pruſſia quoque itidem ac in Polonia, à rege creantur: Iudex tamen ex aliquot à Palatino cum dignitariis & cætera nobilitate de conſeſſu ſcabinorum delectis, ab eo editur: Scabini ſoli à Palatino cum cæteris dignitariis illius loci creantur. Sunt autem & Pruſſici magiſtratus omnes perpetui, prę̨ter præfectos: qui regis arbitratu mutari poſſunt, niſi beneficio ac diplomate regio ſibi proſpexerint. Civitates à decurionibus, ſeu conſulibus, & quidem Germanicæ linguæ & ſanguinis (Polonos enim pro externis habent, & neque ad artes mechanicas perdiſcendas admittunt) reguntur: Quorum non idem ubique, certus tamen eſt numerus. Et ipſi jus habent cooptandi, quos volunt, in ſua collegia, quoties vacat locus, eoq; majore ſunt dignatione & auctoritate quando volunt, & obſequentiorem habent plebem.

plebem. His præſident magiſtri civium, à decurionibus ac de numero ipſorum delecti,& ipſi, itidem atque decuriones, perpetui, in primariis quidem urbibus quaterni,in cæteris vero oppidis bini,per vices annuum gerentes magiſtratum. Habent item ſingulæ civitates juratos judices, ſive ſcabinos, qui à decurionibus ſive conſulibus leguntur. Et ipſi autem perpetui ſunt, niſi forte in numerum conſulum cooptentur. Neque enim eundem conſulem & ſcabinum eſſe licet, prærer Elbingam & Brunſbergam: ubi pars conſulum loco ſcabinorum judicia exercet. Cæterum unus è conſulibus eis præficitur, quem ſcultetum vel judicem vocant. Primariæ tres civitates etiam præfectos habent ſingulos, ut dudum memoravimus, quos vocant burggrabios, & eos quidem annuos fere: Qui tranquillitatis urbanæ, ac totius territorii curam gerunt, cauſaſque privatarum injuriarum & ſanguinarias judicant, & pro iis multas irrogant. Hunc ſolum magiſtratum rex in civitatibus creat, ſed non niſi unum è ſex vel octo è numero conſulum ejuſdem civitatis ab ipſo collegio delectis. Iidem autem conſules ex omni civium numero, Gdani quidem centum viros, alibi vero pauciores deligunt, qui ſint capita multitu-

titudinis & quaſi tribuni plebis: cum quibus communicant nonnunquam conſilia de republica, & ex iis cognoſcunt poſtulata plebis. Vitantur enim coitiones multitudinis propter externorum omnis generis hominum frequentiam, nequando in ſeditionem erumpant, ut nonnunquam factum eſt. Iudicia nobilitatis judices terreſtres cum ſuis ſcabinis, præſidente palatino, bis quotannis exercent in certis oppidis. Infamiæ tamen cauſa, & ſtatus controverſia, itidem ac in Polonia, ad regis judicium pertinet. A terreſtribus judiciis provocatio eſt ad conſiliarios Pruſſię: inde vero ad regem. In oppidis vero judiciaria poteſtas fere omnis eſt penes conſules, exceptis paucis cauſis, quarum mentionem dudum fecimus, & ſi quæ ſunt aliæ ad burggrabios vel palatinos pertinentes: Sed eam ipſi conſules, quod ad privatorũ hominum inter ipſos controverſias attinet, cum jurato judicio, cujus mentionem dudum fecimus, communicarunt. Ab eo vero judicio in primariis quidem civitatibus ad conſules civitatis cujuſque, in cęteris autem oppidis ad conſilium totius Pruſſiæ: inde porro utrimque ad regem provocatur. Rex vero de quibuſvis provocationibus ubilibet, & cum quibus vult, cognoſcit.

Ple-

Plerumque etiam cognitionem delegat Cancellariis & jureconſultis. Alioquī privatum neminem è Pruſſia regi evocare licet, exceptis iis cauſis, quæ ſunt fiſci & judicii regii propriæ. Magiſtratus terreſtres juxta ac urbanos evocat de iis duntaxat, quæ in magiſtratu perperam & præter officium ſuum egerint: vel, ſi mavult, conſiliariis Pruſſicis eas delegat, in comitiis cognoſcendas. Delegat etiam vel iiſdem, vel quibus vult, cauſas fiſci ſui, finium regendorum cum ſuis bonis, ac dividundæ inter fratres & cognatos hæreditatis: Quaſvis item alias ab aliis ordinariis judicibus per provocationem ad ſe devolutas comitia bis quotānis habentur in Pruſſia ſtatis temporibus: Majo quidem menſe Marieburgi, Septembri autem extremo Grudenti. Sed Grudentina jam Toruniam, propter majorem commoditatem urbis, tranſlata ſunt. Ex juſtis tamen cauſis ea quoque loca mutari poſſunt. In iis comitiis à conſiliariis de republica in commune conſulratur, ſive ultro, ſive ex præſcripto regio: de provocationibus terreſtrium & oppidanorum judiciorum cognoſcitur: & omnino judicia vel à rege delegata, vel ſi qua ſunt alia, exercentur. Cum ducalibus quoque Pruſſis, ſeu ducis ipſius legatis, nonnunquam Elbingę ex fœdere, vel

Marie-

Marieburgi,conſtituta certa die conventus habentur, & conſultationes de legibus, & aliis rebus communibus,& controverſiis. Non ita pridem in Pruſſia quoque nuncii nobilitatis & minorum civitatum in comitiis adhiberi cœperunt, tributi ſciſcendi cauſa: cujus decernendi poteſtatem neque rex neque conſiliarii ſoli uſurpant. Ad regni quoque comitia nuncii nuper adeo mitti cœperunt. Sciſcitur autem cereviſiarum tributum plerumque in uſus publicos, vel in gratiam regis,& non modo à cauponibus, verumetiam ab iis, qui eam in ſuos familiæque ſuæ privatos uſus coquunt, penditur: vocaturque id vulgo ciſa vel acciſa. Nonnunquam etiam de cenſibus,agris, domibus, bonis & facultatibus, æſtimatione facta, certa portio penſitanda decernitur. Varmienſis epiſcopæ ſubditi nihil habent negotii cum comitiis. Solus iis intereſt & præeſt epiſcopus,ac deinde iis, quæ ibi conſtituta ſunt, ad peculiarem conventum ſuorum refert,de tributo præſertim. Nec temere ii diſſentire ſolent ab epiſcopi ſui & conventus Pruſſici ſententia. Nihil tamen vetat, ipſos arbitratu ſuo, auctoritate epiſcopi & capituli præeunte, peculiares leges & ut vocant ordinationes ſibi condere, tributumque ſciſcere. Quin-

etiam magiſtratus primariarum civitatum non raro imperant civibus ſuis tributum peculiare,& operas, aliaque onera in uſus publicos urbium ſuarum, adhibitis capitibus plebis. Portus maris tres habet Pruſſia. Regia quidem Gdanenſem & Elbingenſem. Quorum hic in Habum lacum, ille recte in mare procurrit. Ducalis vero, Regiomontanum ſive Kœnixbergenſem, qua Prægola fluvius in Habum influit. Atque hic quidem cum portoriis & omni juriſdictione & impendiis in ducis, duo vero reliqui in ipſarum civitatum, quibus adjacent, & magiſtratus poteſtate ſunt. Verum is tamen, magiſtratus inquam, ſine permiſſu vel mandato regio claudendi & aperiendi portus poteſtatem non habet. Quod de tributo quoque decernendo itidem nuper conſtitutum eſt. Quod ad bellum attinet, ſi qua vis hoſtilis ingruat Pruſſię, domeſticis communibuſque plebi cum nobilitate viribus depellitur. Ac nobilitas quidem cum proceribus equeſtris militat, ſculteti item & liberi: (quos ita vocant, propterea quod & ipſi ab operis & laboribus, quos ruſticani dominis ſuis præſtant, gratuitam immunitatem habent, medii quodam modo inter nobiles & ruſticanos agricolas: Ferunt tamen nonnulla onera extra ordinem.)

Civi-

Civitates equitatum atque peditatum ſuppeditant: Ruſticani peditatum tantum. Hæc ante inſtitutam coadunationem (quæ necdum maturuiſſe videtur) de Pruſſia & in univerſum de Polonia nobis σαφέστερον, quod ajunt, καὶ ἀμαθέστερον ſunt expoſita. Quæ cum civibus noſtris, tum externis non ingrata fore ſperamus. Sic enim fiet, ut minus peregrinentur in hiſtoria noſtra.

EX ALEX. GVAGNINI SAVROMATIA EVROPAEA.

Sauromatiæ Europææ ſitus.

SAuromatiæ Europeæ gentes Regionumq; quas complectitur ſitum deſcripturus: operæpretium me facturum, & rem non injucundam Lectori exiſtimavi: Si inprimis Europæ, ipſius fines, quibus ab Aſia & Africa diſterminatur, præponerem. Europa itaque pars mundi tertia, ab Europa Agenoris regis Libyæ & Syriæ filia denominationem traxit, cujus inſigni pulchritudine Iupiter (ut poëtæ fabulantur) captus nullam aliam occaſionem ad effectum inſani amoris habens, in bovem niveum ſeſe transfiguravit, in litoreque maris viridi-

fero ubi virgines cæteræ cum Europa Reginula ludebant, armentis boum ſeſe interjunxit. Europa vitulum præ omnibus pulcherrimum videns tergo ejus inſedit, qui confeſtim in mare cum ea inſiliens, in Cretam inſulam, ſive Candiam, dicitur eam tranſtuliſſe. Porro Europam ab Oriente Tanais fluvius celeberrimus diſterminat: à meridie mare Mediterraneum, à Septentrione Anglicus ſive Britannicus Oceanus: ab Occidente vero Oceano Atlantico finitur. Hæc pars mundi cæteris duabus, utpote Aſiæ & Africæ, minima eſt, ſed ad habitandum habilior, convenientiorque & moderatior. nam neque calida torridave, nec etiam frigida nimis, ideo habitatoribus copioſior, frequentior, pleniorque eſt, exceptis regionibus Septentrionalibus Oceano glaciali contiguis: quæ aliqua ex parte ob intenſa frigora inhabitabiles ſunt. Religione quoque Chriſtiana, moribus & vivendi conſuetudine, incolarum urbiumque frequentia, & rerũ comeſtibilium fertilitate, cœlique & äëris temperie, Aſiæ & Africæ, quamvis longe amplioribus, facile anteponitur. Ducentis quadraginta quinque miliaribus Germanicis in latitudinem patet à mari Ægeo ſive Ionio ad Oceanum uſque Hybernicum. In longitudinem

nem vero ſeptingentis ſexagintā miliaribus extenditur, à Portugalia videlicet regno Hiſpaniæ, ad Tanaim uſque fluvium, qui Sarmatiam ab Aſia diſterminat. Inchoatur autem Europa ab Oriente à fluvio Tanai, à Meridie vero ab Ægeo mari Græciæ.

In hac parte orbis tertia, Sauromatia regio ampliſſima, multas nationes regnaque ejuſdem generis complectens (de qua nobis res agitur) ſita eſt. Eſt autem duplex Sauromatia, una Scythica ſive Aſiatica, in uteriori orientalive ripa Tanais & VVolgæ fluviorum, quam incolunt Tartari ſive Scythæ Zauuolhenſes, & plures alii, in hordas, id eſt, tribus certas, diviſi. Altera Europęa Sauromatia dicitur: cujus coloni ſunt Poloni, Ruſſi ſive Ruteni, Lituani, Maſovitæ, Prutenni, Pomerani, Livones, Moſchovitæ, Goti, Alani, Valachi, & Tartari qui in hac ripa Tanais fluvii occidentali juxta Pontum Euxinum degunt. Hanc ab oriente Tanais fluvius, paluſque Mæotis, ab Aſia diſlimitat, ab occidente vero Viſtula, vel ſecundum quoſdam Odera fluvius: à meridie montibus Hungaricis Beskid gentiliter dictis terminatur, ab æquinoctio mari Germanico ſive Sarmatico fines ſuos à Germania dirimit.

Ptolomeus vero Lib. 3. cap. 5. Sarma-

tiam Europæam à ſeptentrione Oceano Sarmatico terminari ſcribit, juxta ſinum Venedicum, ad fines uſque Engroneland terræ incognitæ ultra Nortuegiæ regnũ longe patentis: Ab occaſu Viſtula fluvio & parte Germaniæ quę eſt inter caput ipſius & montes Sarmatarum. A meridie Iazigis Metanaſtis, quę eſt gens Hungarica; ab oriente Iſtmo eam ambiri refert, à Carcinito fluvio per Bicen paludem, & latere paludis Mæotidis, uſque ad Tanais fluvium in provincia Reſanenſi Moſchoviæ fontes habentem; hic autem fluvius Aſiam Scythicam ab Europa diſlimitat. Ab auſtrali deinde plaga Sarmaticorum montium jugis ad Carpatum uſq; montem Tatri ſive Beskid vulgo appellatum, Sarmatia Europæa finitur, deniq; per Valachiam Moldaviamq; ad Boriſthenis uſque oſtia, ubi in pontum ingenti aquarũ colluvie influit, & per littora ponti ad Carcinitum uſque fluvium ex montibus Circaſſorum Quinquemontarum defluentem extenditur Sarmatia Europæa, ſecundum Ptolomei Coſmographorum principis opinionem. Qui etiam hos fluvios ætate ſua celebriores Sarmatiam prǽterfluere aſſerit. Viſtulam; qui & Vandalus, Iſtula ſive Iuſtula, variis nominibus apud veteres enunciatur. Hic ex montibus Sarmaticis emergit, Sileſiaque

&

& Polonia, Maſovia, Pruſſia præterlapſis, multis fluviis exhauſtis apud Gedanum Pruſſiæ emporium celeberrimum in mare Sarmaticũ ſive Balticum exoneratur. Cronon quoq; fluvius inſignis in Ruſſia non longe à Turouu oppido ortus, Ruſſiæ regiones & Lituaniæ ac Pruſſiæ percurrens, poſt Viſtulæ oſtia ad Septentrionem reflectendo, in Germanicum quoque mare (quod Cronium inde forte dicitur) influit; vulgo *Niemen* appellatur. Rubon quoque fluvius, qui nunc *Dzvvina* vulgo, Latinis & Germanis Duna dicitur, in Ruſſia Moſchoviæ fontes ſuos habet; & magna parte Ruſſiæ, Lituaniæ & Livoniæ præterlapſis, in prædictum mare, à Riga Livoniæ Metropoli duobus miliaribus, ampliſſimis oſtiis, poſtquam centum triginta miliaria Polonica à fontibus ſuis emenſus fuerit, ingreditur. Ternutis quoque & Cherſinus fluvii ſecundum Ptolemæum ex Riphęis montibus naſcentes, in prędictũ mare exonerari dicuntur, qui mihi *Narevv* & *Bug* vulgo dicì videntur. Præterea Sarmatia Europæa multos alios fluvios celeberrimos habet; utpote Boryſthenem, *Dnepr* vulgo dictum, in Pontum Euxinum influentem; Hypanin, qui hodie *Bog* (non *Bug*, qui Viſtulæ commiſcetur) dicitur; Tyran, qui *Dneſter*

proprie à *tirando* Italico verbo, quaſi *ſagittando* dictus. Horrida enim violentia aquas impellit. Inſuper Viliam, Diſnam, Peripetum, Sluczam, Narvam in Livonia, & alios complures navigabiles fluvios, quos recenſere longum eſſet. Hoc itaque in imperio Sarmatico, cujus limites modo ex Ptolomæo & noſtra propria experientia diligentius deſcripſimus, Rex Poloniæ à majoribus ſuis belli vel pacis jure acquiſito rerum potitur, & modernis temporibus Sarmatia Poloniæ regis potentiſſimi & invictiſſimi monarchæ his finibus includitur.

A montibus Sarmaticis & Tranſſylvaniæ palatinatu, ad Viſtulæ fontes, ubi incipit Ducatus Teſſinenſis, inde per Sileſiam ad Oderam fluvium, & uſque ad Marchiam Brandeburgenſem, ac Francfordiam, per Pomeraniam quoque longo tractu, ad litus Oceani Germanici ſinumque Codanum ſive Balticum, per latus demum ſeptentrionale per Samogitiam, Curlandiam, Livoniæque ampliſſimum dominium, ad Phinlandiam uſque ultimam fere orbis regionem Suecorum regi ſubjectam, orientem verſus per multas regiones Ruſſiæ ad Moſchorum Principis imperium uſque extenditur. A Germanico vero Oceano ad Alexandri Macedonis aras, per Campeſtria deſer-

deſerta ad paludes Mæotidis longiſſimo tractu ultra Boryſthenem procedendo, deinde à Ponto Euxino per campos Podolienſes,& per Moldavos ac Valachos redeundo , Iazigis Metanaſtis vel Tranſylvanis & Hungaris,montibuſque qui hodie Scepuſienſes dicuntur, à meridie imperium Monarchæ Poloniæ diſiungitur.

Dicta eſt autem Sauromatia Græcis, ſimilitudine ſumpta ab hominibus viperinos oculos habentibus,terribilibus ſcilicet & crudelibus: nam ζαῦρος Græcis viperam, ὄμμα vero oculum ſonat. Atque nunc inprimis de Polonis præcipua gente Sauromatica dicendum nobis occurrit.

Deductio & origo antiqua bellicoſaque gentis Sauromaticæ, ex qua Poloni ortum genuſq; ſuum ducunt.

DEductionem originemque Polonorum ac regum eorundem geſta ſecundum ordinem deſcripturus, paucis obiter Lectorem admonendum volo, ne quid me in principio rei de Polonis dicturum ſigillatim exiſtimet. conſequens enim eſt ut antiquiſſimæ gentis Sauromaticæ ſive Slavonicæ originem,& mores priſcos , altius inprimis inveſtigaremus , quod pro rei ipſius faciliori intel-

lectu fortaſſe utilius erit. Liquet aperte ex ſcripturis ſacris veteris legis, ad quod etiam omnium hiſtoricorum conſentiens opinio eſt: Iaphet filium natu maximum Nohæ, poſt illud totius mundi diluvium, orientem & ſeptentrionem verſus in Europa & in Aſia minori primum conſediſſe, illicque cooperante divina voluntate in maximam gentem excreviſſe; quod ei cum Etymon nominis, dilationem ſignificantis, tum fauſta Nohæ parentis imprecatio portendebant. Sic etiam Noha ille Patriarcha, præfigurans neceſſarie futuram eſſe trinam conditionem vitæ humanæ, filiis ſuis di[illegible], ſinguliſq; ſingula officia adminiſtranda injunxiſſe & demandaſſe fertur, ut unuſquiſque ſuæ vocationi prædefinitæ correſponderet, in hæc verba: Tu Sem ora velut ſacerdos, munus divinum obiens: tu Cham labora agros colens, & artes mechanicas exercens: tu Iaphet rege, & protege velut rex & miles, arma exerce, cæteroſq; certis propoſitis legibus in officio retine. Quod mandatum & teſtamentum Nohæ hæc uſque in tempora durare videmus: unaquæque etenim natio ex illis filiis ejus propagata, ſuam vocationem ex quadam prędeſtinatione & paterna imprecatione exercet. Poſteritas igitur Iapheti, cum majorem orbis terra-

terrarum partem in Europa Aſiaque minore occupaverat, teſtamento patris ſui & fauſtæ imprecationi Nohę patriarchæ correſpondentes, ſtatim ad arma exercenda animum adjecerunt, & in numeroſam gentem temporis ſucceſſu ſub duce Gomero Iapheti filio in orientali, ubi Armenia, & ſeptentrionali plaga excreverunt, ad Boſphorumque Męotidi paludi proximum, qui nunc Cimmerius dicitur, & ad fontes oſtiaque Tanais longo tractu ſedes ſuas habuerunt. Poſtea poteſtatem & prælaturam, ſub qua cæteri regantur, neceſſariam eſſe conſiderantes, ad Tuiskonem ſive Aſcenam Gomeri filium imperium detulerunt, qui Beroſo teſte latiſſime à fontibus Tanais ad Rhenum uſque fluvium Germaniæ imperavit. Hunc Tuiſconem prædictus Beroſus hiſtoriographus Germanorum omnium Sauromatarumque pariter conditorem eſſe aſſerit; quo teſtimonio ſatis recte probaretur, Sarmatas ſive Slavos cum Germanis unum eſſe, cum ab eodem auctore & propagatore proceſſerint. Crantius quoq; ratiocinatur Polonos Bohæmoſq; Germanis congeneros eſſe, eo quod frequens Germanicæ linguæ apud hos populos uſus fuerit, & veſtibus Germanicis multi eorum utantur. Qua ratione quoq; probaretur,

eos

cos Latinos, vel Italos Hungaroſque eſſe: nam hæ quoque linguæ, idemque habitus, apud Polonos nunc ex magna parte in uſu eſſe cœperunt, & Latina lingua omnes fere nationes vincunt. Non recte igitur Crantius hîc ratiocinari videtur. Si enim Slavi vel Sauromatæ ex Germanis oriundi eſſent, eademque cum eis antiquitus lingua uterentur, unde igitur Sarmaticæ ſive Slavonicæ linguæ apud Sarmatas uſus ortus eſſet? qua hæ gentes paſſim & vulgariter utpote innata utuntur. Habitu quoque, moribus, & vitæ conſuetudine Sarmatæ à Germanis penitus diverſi ſunt. quod etiam Plinius approbat, dicens: Sarmatæ quidem certe Germani non ſunt, ſed ab iis Vandalo ſive Viſtula fluvio ad ortum ſolis vergentes dirimuntur. cui ſententiæ probati antiquitatis indagatores Cornelius Tacitus, Strabo & Ptolomæus aſtipulantur. Sed ad rem unde digreſſus ſum redeo. Illa poſteritas Iapheti impigra, ſtrenua, manuque prompta, & bellicoſa extitit; quod res ipſæ ab illis ſtrenue audaciſſimeque geſtæ abunde teſtantur. toto enim orbi terrarum tunc temporis terrori dicuntur eſſe. unde à Græcis Sauromatæ in primis appellati ſunt, deducto nomine à ζαῦρος, quod eſt vipera, & ὄμμα, oculus, quaſi dicas, gens terribilis cum

cum viperinis oculis. Ab hoc itaque tempore hæc gens regioneſque eorum, quas incolunt, Sauromatiæ nomen retinent. Hi poſtea, tempore ſuccedente, & in dies magis ac magis numero populi accreſcente, videntes, alias ſedes patrias propter ſe progeniemque paulo arctiores eſſe, à Tanais fluvii oſtiis & paludibus Mæotidis meridiem verſus ulterius proceſſerunt, per regioneſque propinquas, Daciam, Ruſſiam, Lituaniam, Boruſſiam, quæ nunc Pruſſia dicitur, Livoniamque longe & late diffuſi ſunt. Quorum major pars in has Provincias campeſtres, quæ hodie à Polonis coluntur, commigravit, fluviique Viſtulę (quæ antiquis Vandalus dicebatur) utraſque ripas occupaverunt, & ſtatim cum antiqua Gente Tevvtonum, quæ etiam ad Viſtulam fluvium in tuguriolis antiquitus degebat, ſocietatem atque amicitiam velut advenæ contraxerunt, propter communem prædam & rapinas, cum adhuc minime aſſueti eſſent ſudore proprio vel agricultura artificiiſque victum acquirere. Manu itaque conjuncta frequentes irruptiones in Pruſſiam, Saxoniam, & Pomeraniam exercebant, provinciaſque maritimas aſſiduis excurſionibus divexabant, & mare Balticum ſive Germanicum propter res ſibi neceſ-

ſarias

ſarias acquirendas piratarum more remigiis tentabant. Quando vero & qua occaſione hæc migratio Sauromatarum à fontibus oſtiiſq; Tanais fluvii & paludibus Mæotidis in has regiones contigerit, quoniam nulla gentis ab eo tempore monumenta extant, ex quibus id conſtare poſſit, ignotum eſt. Si enim literarum cultura ęque ac res militaris apud Sauromatas tunc temporis floruiſſet, certiora de ſuo in hæc loca adventu aliiſq; rebus præclare geſtis monumenta reliquiſſent; ſed ipſi animoſe viriliterque agere, & bella exercere, quam eleganter & ornate ſcribere maluerunt. Sabellicus tamen & Herodotus ſcribũt, Sauromatas & Cymbros à Lydorũ rege Aliate ex Aſia ejectos eſſe. Quidam etiam opinantur eos vi à Gotis expulſos ſedibus patriis emigraſſe; quod veriſimile non videtur, ſed potius ſuapte ſponte ac voluntate, ſive fato quodam impulſos, ſive opum alienarum cupiditate accenſos, cultiora loca appetiſſe eos exiſtimaverim. Neque vero ſoli Sauromatæ, ſed & aliæ quædam gentes ipſis conterminæ, ſedibus patriis relictis, in alias terras cultiores migrantes tranſierunt, inter hos Cimmerii ſive Cymbri, Gotæ, Daci, Suevi ſive Tuiſcones, & Sacæ qui nunc Saxones dicuntur. Hi etiam in hæc uſq; tempora Sarmatis ſunt contermini

mini. Neq; vero univerſam gentem illinc ſeſe ſimul effudiſſe cõſtat, ſed remanſiſſe nonnullosqui relicta ab aliis loca colerẽt; quod moderni incolę iſtius orę, juxta Tanaim fl. degentes, aperte teſtantur, utpote Tartari campeſtres qui longo tractu juxta Tanaim fluviũ & paludes Męotidis Pontumq; Euxinum vivunt. Hi enim à veteribus Sarmatis moribus & inſtitutis haud diſſimiles ſunt. Sed ad rem redeo. Illi Sauromatæ qui ad Viſtulam fluv. conſederant, cum Teutonibus cõmilitonibus ſuis omnes provincias circumjacentes & colonias ſuas frequentibus divexationibus depopulatas ad nihilum redegerunt, & victum amplius acquirere non potuerunt; agros enim non colebant, ſed paratis & raptis vivebãt. Ideo ſterilitate ſoli per ignaviam ſuam cauſata, adjunctis ſibi in ſocietatẽ vicinis Teutonibus, ulterius (inquirentes fertiliores provincias) proceſſerunt, quorum multitudo ccc millia virorum exceſſiſſe fertur; & à fluvio Vandalo, nunc Viſtula dicto, quẽ accolebant, Vandalitæ (Sarmatorũ nomine abolito) appellati ſunt. Primo itaq; hi Vandalitæ populabundi in Pannoniam excurrerunt Conſtantini magni tẽporibus, eamq; 40 annis (expulſis prius eius incolis) occupatam tenuerũt: deinde, Hungaricis hiſtoriographis teſtantibus, à Gotis illinc ejecti

expul-

expulſique ſunt. Polonorum vero annales teſtantur, Vandalitas ex Pannoniæ finibus eductos per Stillicum ducem ſuum in Italiam, quam armis undiquaq; crudeliter pervaſtarunt. Poſtea in Hiſpaniam cum eodem duce ſuo Stillico commigrarunt, ex Hiſpaniis vero per mare Herculeum navigantes in Africam devenerunt: ubi annnos ducentos in pace & abundantia omnium rerum peregerunt, Romanumque imperium navali & terreſtri bello variis excurſionibus debilitarunt, ac ipſam Romam ſub Sixto Papa, ut quidam volunt, Anno Chriſti 429, crudeliter vaſtaverunt. Tandem Anno Domini 538, Iuſtinianus Imperator per Ducem celeberrimum exercitus ſui Beliſarium, virum inſignem & rebus geſtis clarum, eos cruento prælio profligavit, ex Africaque funditus exterminavit, rexque eorum Gilimerus captivus Conſtantinopolim abductus eſt. Ajuntque nonnulli, hoc prælio Beliſarii, Vandalitas ad internecionem uſque gentis cæſos deletoſque fuiſſe; ſed id à vero eſſe alienum, non uno argumento liquet. Etſi enim vires eorum adeo fractæ attritæque eſſent, ut robur vetus & potentiam priſtinam recuperare poſt nunquam potuerint, reliquiæ tamen eorum ita fuga diſperſæ ſunt, ut quidam in Poloniam,

ad

ad Viſtulam fluvium, natale videlicet ſolum, unde ortum duxerant, regreſſi, nonnulli in Grçciam & Pannoniam, Germaniamque, novis quærendis ſedibus, dilapſi ſint. Horum reliquiæ ultra Albim fluvium in ſeptentrionem ſparſim habitantes, Slavonico idiomate majori ex parte utuntur; & Ducatus, quem incolunt, confinis Pruſſiæ, Vandalia nuncupatur; cujus Dux, Pruſſiæ Polonorum feudalis titulum ſibi uſurpat. Porro omnes Germani denominatione à Vandalis ſumpta, omnes Sarmatas Slavonica lingua utentes, *VVenden*, ſive *VVinden*, & *Vindis*, promiſcue appellant, mareque quod Sarmatiam alluit Venedicum vocant. Cætera horum Vandalitarum geſta brevitati conſulens omitto: nihil etenim de iis ſcribitur; ſolummodo barbara atrocitas & immanitas, qua crudeliter in omnes ſæviebant; adhucque hodie in Litaniis Catholicæ Eccleſiæ Romanæ canitur, *A Vandalis libera nos Domine*, &c. Poſt hos Vandalitas ex iiſdem Sauromatiæ ſedibus, alia à fluvio Tanai & paludibus Mæotidis gens crudelis priori non diſſimilis ortum duxit, qui Roxolani, ſive Roſſani & Ruteni Ruſſiq; cognominati ſunt, Procopio hiſtoriographo id atteſtante. Volgari quoque ſive Volhinii populi ex iiſdem ſedibus à Volga flu-

vio ampliſſimo cognominati, moribus & idiomate Slavonico cum Roxolanis concordantes, ortum duxerunt. Volga autem fluvius celeberrimus (quem plurimi Tanaim eſſe falſa opinione ducti exiſtimabant) Ptolomæo *Rha*, Tartaris *Edel* dicitur, Moſchovitaſque certis limitibus cum Tartaris campeſtribus diſterminat. Illi itaque Roxolani ſive Ruſſi cum Volgaris, ob ſimilitudinem & unitatem conſuetudinis vitæ, amicitiam & ſocietatem contraxerunt, conjunctiſque viribus in Tauricæ regionem (quæ nunc à Tartaris Præcopenſibus occupata eſt) penetrarunt, inibique locum domicilio ſibi delegerunt. Quamdiu illic degerint, vel quo tempore advenerint, incertum eſt, nullus enim inter eos inventus erat, qui temporum rerumque à ſe geſtarum vices literis mandando poſterorum memoriæ factorumque æternitati conſuleret. Audientes tandem diſcordiam pullulare inter principes Chriſtianorum in Græcia, quidam eorum cum Duce ſuo Chrunno, Danubio trajecto, recta in Thraciam populabundi perrexerunt, ubi Imperatorem Conſtantinopolitanum cum exercitu cruento prælio fuderunt, Nicephorum quoque & Michaëlem Curoplatum Imperatores ad Adrianopolim occiderunt. Tandem My-

ſia

ſia utraque occupata eam VVolgariam à ſui denominatione, quæ nunc Bulgaria dicitur, vocaverunt. Alii eorum Ruſſiæ regionem occupaverunt, quam VVoliniam (quæ hucuſque hoc cognomen retinet) appellaverunt. Cæteri quoque Podoliam, Lituaniam, Podlaſiam, Maſoviamque regiones occupaverunt. Hi omnes loca ſemel occupata hæc uſque in tempora non mutarunt, exceptis illis qui in Myſia conſederant. Variis auté nominibus ab hiſtoriographis appellabantur. Græci enim eos Sporios, id eſt, diſperſos, Sauromataſq;, id eſt, crudeles, ſumpta à viperis ſimilitudine, appellabant: cæteri eos Roxolanos, Beſos, Guados, Bodinos, à fluvio Boryſthene, Bolgaros à Volga, Moravos à Morava flumine, vel à Morato rege, Antos, Baſnos, Carnios, Serbos, Raſcios à Ruſſia, Dalmatas, Slavos, Illyricos, Iſtrios, ab Iſtro ſive Danubio, Bohemos à regione Boëmia, Polonos à campeſtri planaque regione, vel à venatione. *Pole* enim venationem & planiciem Slavis ſignificat. Hæcque gens planam fere apertamq; regionem incolit, & apprime venandi ſtudio tenetur. Hæ gentes Sarmatiæ ut in plures diverſaſque provincias dividuntur, variiſque nominibus appellantur, ſic etiam diverſa variaque idiomata præ ſe

 ferunt,

ferunt, ſecundum terrarum & regionum diſtantias, quamvis omnes unius gentis & idiomatis Slavonicæ fuerint: nam Moſchovitæ à Rutenis aliquantulum, Ruteni quoque à Polonis & Maſovitis, ſic etiam Bohemi, Croatæ, ab invicem idiomatis expreſſione, accentibus & prolatione, verborumq; immutatione differunt; ita ut ſe intelligere difficile poſſint, niſi mutuo familiaritatis uſu alter alterius linguæ aſſuetus fuerit. Nam quia Sarmatæ ſive Slavones bellicoſi pugnaceſque extiterunt, pacem odio proſequentes, varias mundi partes peragrabant, & pro ſuo arbitrio occupabant, peregrinorũ quoque vocabulorum uſu idioma Slavonicum immutarunt. Apparet autem ex antiquorum hiſtoriographorum ſcriptis, gentem Slavinorum vel Slavorum, in Paphlagonia regione Aſiæ minoris, tempore belli Trojanorum floruiſſe. Procopius etiam Cæſarienſis ante mille & quinquaginta annos de bello Gotico, Iuſtiniani imperatoris temporibus ſcribens, mentionem quoque Slavinorum facit. Blondus vero, qui ante centum decemque annos hiſtoriam ab inclinatione Romani imperii conſcripſit, antiquiora Arcadii & honorii tempora perſequens, Slavorum meminit. Iornandes autem Alanus in ſuis Chroni-

cis

cis dicit, id nomen Slavorum ſuo tempore novum extitiſſe, idioma autem hoc, quo nunc Slavones utuntur, antiquum fuiſſe. Scribitque hic Iornandes, & Divus Gregorius, primus hujus nominis Romanus Pontifex, Slavos ad Iſtrum ſeu Danubium ſeptentrionem verſus habitaſſe, trajectoque Danubio Myſiam utramque, Pannoniam, Macedoniam, Thraciam, Iſtriam, divexaſſe, inter Dravumque & Savum flumina, in Illyrico & Dalmatia conſedisſe, eis Regionibus Slavoniæ nomen indidiſſe, Romanumq; Imperium penitus debilitaſſe.

Iidem Slavi ne Germaniæ quidem pepercerunt, ac ad eam amplitudinem pervenerunt, ut prope dimidiam Europæ & Aſiæ partem teneant. Etenim in ea natione connumerantur non ſolum ii qui Dalmatiam, Illyricum, Carpatum, & Hungariæ montana tenent, ſed aliæ omnes orientales & ſeptentrionales maximæ & fortiſſimæ gentes, quæcunque Slavonico idiomate utuntur, utpote Bulgari, Boſnæ, Serbii, Croatæ, Carnii, Raſcianii, Dalmatæ, Iſtrii, (Burgundi jam Slavorum linguam amiſerunt,) Stirii, Poloni, Maſovitæ, Pomerani, Luſatii, Podolii, Volinii, Rutheni, Moldavi, Moſchovitę latiſſime imperantes, Caſſubii, Vandalii, Sileſii, Moravi, Bohæmi &c. In

omnibuſque his provinciis, ab Oceano glaciali, qui ultra Moſchorum Principis ditiones longiſſimo tractu ſeptentrionem verſus extenditur, ad mare uſque Mediterraneum & Adriaticum, populi idiomatis Slavonici reperiuntur. Sic quoque à Ponto Euxino Moldavi Valachiiq;, & cęteræ Rutenorum gentes, ad mare uſque Germanicum colonias ſuas habent. Quamvis plurimi eorum patrium vivendi modum in peregrinos mores commutarunt. Bulgari enim, Boſnæ, Raſcii, Dalmatæ cum Turcis & Hungaris: Burgundi, Myſii, Pomerani, & Sileſii cum Germanis: Lituani, Ruteni, Maſovitæ cum Polonis: Iſtrii, Carniolani, Carinthii cum Italis ſentiunt. Attamen omnes hi quamvis inter peregrinas gentes diffuſi diſperſique ſunt, patrio idiomate Slavonico (diverſo modo licet) utuntur. Plurima & præclara geſta hi Sauromatæ exercebant, præcipue vero cum Roxolani (quorum poſteri nunc Ruteni ſive Ruſſi dicuntur) ſtrenue cum Mithridate rege Parthorum & Ponti belligerarent, qui has regiones, quas hodie Turca, poſſidebat. Cum Romanis quoque & cæteris finitimis regibus longas acies vario Marte tenuerunt: ſed quia gentiliter vivebant literaſq; ignorabant, ideo etiam præterita recordari, & anti-

qua

qua geſta ad poſteritatem tranſmittere, flocci pendebant. Porro qui diligentius rem ipſam conſiderare velit, nullam gentem olim Sarmatis bellicoſiorem extitiſſe videbit: hi enim omnes miſerias bellicas, frigora, intempeſtates, & id genus alios caſus facile ſuſtinebant, & propter nomen ęternum nulla vetuſtate abolendum, vitam flocci pendentes, mortis impavidi, variis periculis opponebant. De quorum inſigni fortitudine audacique animo Ovidius ille Naſo, è Roma ad Pontum in Regnum Tauricæ relegatus, pro ſingulari miraculo, Romanis proceribus ſcripſit in hæc verba: Lib. 1. de Pont. Eleg. 2. ad Maximum.

Hoſtibus in mediis interque pericula verſor.
Tanquam cum patria pax ſit adempta mihi.
Qui mortis ſævo geminent ut vulnere cauſas,
Omnia vipereo ſpicula felle linunt.
His eques inſtructus perterrita mœnia luſtrat,
More lupi clauſas circumeuntis oves.
Tecta rigent fixis veluti vallata ſagittis,
Portaque vix firma ſummovet arma ſera.

Ad eundem Elegia tertia.

Aut quid Sauromatæ faciant, quid Iazyges acres,
Cultaque Oreſteæ Taurica terra Deæ,
Quæque aliæ gentes, ubi frigore conſtitit Iſter,
Dura meant celeri terga per amnis equo.
Maxima pars hominum nec te pulcherrima curat,
Roma, nec Auſonii militis arma timet.
Dant illis animos arcus plenæque pharetræ,
Quamque libet longis curſibus aptus equus.
Quodque ſitim didicere diu tolerare famemque,
Quodque ſequens nullas hoſtis habebit aquas.

Idem ad Veſtalem Eleg. 7. lib. 4.

Ipſe vides onerata ferox ut ducat Iazyx
Per medias Iſtri plauſtra bubulcus aquas.
Aſpicis & mitti ſub adunco toxica ferro,
Ac telum cauſas mortis habere duas.

Ad Severum Eleg. 19.

Nulla Getis toto gens eſt truculentior orbe,
Tinctaq; mortifera felle ſagitta madet.

Ex

Ex hoc igitur teſtimonio Ovidii, Sarmatas bellicoſos, Imperioque Romano minime ſubactos eſſe, apparet cum dicit:

——— *Nec te pulcherrima curat*
Roma, &c.

Porro quæ de antiquiſſimis ejus gentis moribus & inſtitutis proferri poſſint, hæc fere ſunt. Vtebantur primis temporibus vetuſtiſſimi illi Sarmatæ ſive Slavones, & qui in Polonia Ruſſiaque regionibus poſtea ſedes habuerunt, eorum poſteri, priſca illa Slavonica lingua, quæ Sarmatis Ruteniſque genuina eſt. Regem aut Principem ſecundum genus agnoſcebant neminem, ſed exortis ſubinde bellis, ex ſuis fortiſſimum quemque & factis illuſtribus ſpectatum ducem, ſibi eligebant. nec diuturnius cujuſquam erat imperium, quam ipſum bellum, cujus gerendi dux eſſet declaratus. Vnde & nunc Polonis Rex non naſcitur, ſed conſenſu Senatorum, qui dignus videretur, per ſortem eligitur. Ad bella ſinguli viritim proficiſcebantur, arcubuſque, frameis, & lanceis oblongioribus utebantur. Vxores ſecum ducebant, quæ incantationum magicarumque artium gnaræ, auguriis & vaticiniis operam navabant, de præliorumqne eventibus ſcienter præſagiebant. Fugere in bello res

inſolens illis erat, quique id feciſſet, ei nullus ad ſuos reditus patebat, neque graviorem ullam turpitudinem aut ignominiam noverant. Summa apud eos dignitas erat poſt electos belli Duces, equitum, quos ab ornamentis auratos vocamus, ad quam nemini aditus patebat, niſi qui virtute bellica factiſque in hoſtem patratis id aſſequeretur. Martem, Lunam, Solem, alioſque vanæ religionis deos adorabant, eoſque diverſis & certis locis colere, & ſacra ipſis facere, ſolebant: de animarum tamen immortalitate recte ſentiebant. Sepulturæ eorum erant in ſylvis & agris, tumuloſque aggeſtis lapidibus veſtientes eminenter muniebant; quod genus in Ruſſię regionibus paſſim adhuc viſuntur. Nonnulli quoque more Romano cadavera cremare, cinereſque collectos in urnas recondere ſolebant. In victu paucis contenti erant. Permutatione rerum neceſſaria utrinque comparabant. Nihil proprium, exceptis arcu, framea & lancea, poſſidebant. Veſtibus vilibus, ex coriis ferarum pellibuſque utebantur, ad talos demiſſis. Theſauros, poſſeſſiones, prædia, veſteſque pretioſas non comparabant. Cauſas omnes & controverſias publico in loco Marte judice armis dirimebant. Hæc plane ſunt, quæ de antiquiſſimis

Sar-

Sarmaticæ Slavonicæque linguæ inſtitutis & moribus extant, quorum potiſſima pars in hunc uſque diem apud poſteros eorum quibuſdam in locis viget.

Regni Poloniæ deſcriptio.

POloniæ regnum in Sarmatia Europęa, ut diximus, ampliſſimum potentiſſimumque, cum aliis multis præclaris rebus, tum modo gubernationis, à cæteris omnibus Regnis differt; in quibus Reges, ſine ſenatus conſilio & equitum conſenſu, ex voto privato, legem omnibus ferunt, & niſi virtute innata regantur, in tyrannidem facile prolabuntur. In Polonia autem ut Reges non naſcuntur, ſed communibus Senatus & Equitum ſuffragiis eliguntur, ita etiam ſine auctoritate eorundem nihil decernere poſſunt, quamvis ſint potentiſſimi, & militibus voluntariis ſuperbiſſimos quoſque Reges ſuperantes. Soli enim Poloniæ Principes invictiſſimi reperiuntur. qui ex ſolis voluntariis nobilibus, ducentorum millium quotieſcunque opus fuerit exercitum fortiſſimum & omni genere armorum promptiſſimum, ſine ullis ſtipendiis, contra hoſtem educere poſſunt. Nobilitas namque univerſa omnibus ſoluta vectigalibus, bellica tantum-

tummodo munera obire pro aris & focis tenentur. Quod ſi voluntarii milites non ſufficerent,de ſuis propriis gentibus trecenta millia mercenariorum conſcribere poſſint. Ita cum ſit potentiſſimus Rex Poloniæ, tamen ſecundum legum & Senatus præſcripta vivere tenetur, ſicque regnum ampliſſimum, regio imperio. Regia vero Majeſtas & Poteſtas viciſſim Senatus & Nobilium libertate temperatur, intra æquitatiſque terminos omnes ordines regni cum ipſo Rege continentur.Quod ſi rex quandoque ab officio ſuo deflecteret, & publicas libertates ſuorum opprimere aſpiraret, auctoritate Senatoria, qui ad hoc attentandum juramento ſunt obligati, prohibetur, & ita Rex Poloniæ graviſſimis Senatorum conſiliis nititur. Senatores vero ipſi,& univerſi Equites, viciſſim regiam majeſtatem reverentur, amant,honorant, vitamq; ac poſſeſſiones privatas univerſas funditus pro ſanitate & bono illius effundere parati ſunt. Senatores autem voto Regis (penes quem eſt ſumma & maxima juris dicendi auctoritas) ex præcipua & illuſtri totius regni nobilitate, generis & virtutum commendatione delecti, exacto fidei ſacramento, in Senatum eliguntur. Principes autem & præcipui

regni

regni Senatores, ſunt Archiepiſcopi & Epiſcopi, propter venerandam Eccleſiaſtici ordinis majeſtatem auctoritatemque, & opes, quibus affluunt, præſtantiſſimas. Hi in Senatu in utrumque Regis latus circumſident. Archiepiſcopi autem duo ſunt in univerſo regis Poloniæ imperio, Gneſnenſis regni Primas, & Legatus natus Romani Pontificis in Sarmatia vicem tenens, qui vetuſta ſuperiorum Regum memoria, coronandi Regis jus habet. In Ruſſia vero nigra, ſecundus Archiepiſcopus eſt Leopolienſis, ubi ſedes Metropolitana Cracovia translata eſt, anno Domini MLXXV, in curia Lamperti Zulæ Sancti Staniſlai prædeceſſoris. Epiſcopi tredecim, non ſecus ac Principes maximi, omni rerum copia excellentes, in tota Poloniæ Monarchia reperiuntur; Cracovienſis minoris, Poſnanienſis majoris Poloniarum, VVladiſlavienſis, qui & Cuiaviæ Pomeraniæque, Vilnenſis Lituaniæ, Plocenſis Maſoviæ, VVarmienſis, Culmenſis Pruſſiæ, Præmiſlienſis, Lucæorienſis, Chelmenſis, Kiovienſis Ruſſiæ, Samogitiæ, ultimus Camenecenſis. Hi ordine omnes Regi aſſident, niſi, quod Poſnanienſis, cum VVladiſlavienſi, antiquam digniatis litem teneat, ideo alternatim locum mutant. Epiſcopos ex veteri privile-

vilegio Caſtellanus Cracovienſis ſubſequitur, militarium procerum Princeps, deinde Palatini, quorum major Cracovienſis & Vilnenſis; Palatinos vero quidam Caſtellani præcipui intermixti. Tunc demum alii Caſtellani majores & minores, quos recenſere longum eſſet, ordine loca ſua occupant. qui non caſtris, ut ipſa vocis Etymologia ſonat, ſed minoribus provinciis, Senatorio jure & nomine Regio præſunt, extraque ipſam auctoritatem dignitatemque (quæ eſt prima poſt Palatinos) parvum ſui officii quæſtum reportant, quamvis illius cui præſunt provinciæ Dominia appellantur. nihil enim præter Reipublicæ (quod vere Senatorum eſt) commoda quęrunt. Caſtellanos Archimarſchalci Marſchalciq; ſupremi totius regni officiarii ſequuntur, qui ſunt Poloniæ & Lituaniæ de utroq; imperio bini, terreſtres videlicet & curiales. Marſchalcorum officium eſt, curare totius aulæ & omnium conventionis tranquillitatem; inter proceres & aulicos regios partiri ædes urbium: regi quocunque eunti, baculos erectos ſinguli præferunt, & ut quiſque officio ſuo apud regem fungatur provident. In Senatus conſeſſu omnia animadvertũt. quod ſi ſupremi Marſchalci abfuerint, Curiales eorum officium adimplent. Cancellarii &

& Viceeancellarii Marſchalcos ordine ſequuntur, utriuſq; gentis, qui ſunt ſimiliter bini: & bina ſigilla. Horum officium eſt, privilegia, immunitates, prærogativas à rege alicui datas, literas ſimiliter regias conſcribere: ſcriptas regi oblatas pronunciant; quibus à rege ſubſcriptis illi ſigillum affigunt. Omnes autem literæ ac privilegia in Magni Lituaniæ ducatus Cancellaria, Rutenicis characteribus abſolvuntur; apud Polonos vero Latine (cujus linguæ ſunt peritiſſimi) omnes cauſæ deſcribuntur. Præcipua quoque eſt dignitas in ſenatu ſummorum generaliumque militiæ ducum; quorum in Polonia unus, in Lituaniæ Magno ducatu ſecundus, rerum potiuntur. penes hos ſumma omnium exercituum imperii ſita eſt; in qua auctoritate regia plenipotenter utuntur. Hos demum Campiductores, de utroque imperio ſinguli, qui ſunt campeſtris militiæ duces. Eſt etiam ſummus majoris Poloniæ præfectus ſive Generalis; ſimiliter Samogitię & terrarum Ruſſiæ præfecti; quo honorum gradu non niſi Principes viri, & de patria optime meriti, à rege donantur. Cooptantur quoq; in Senatus claſſem provinciarũ de utroq; imperio officiarii, utpote Judices qui cauſas nobilium munere regio dijudicant, Pincernæ, Succamerarii,

Da-

Dapiferi, Secretarii, Vexilliferi, Scribæ, Tribuni militum, Exactores, Theſaurarii,& cæteri, qui ſinguli ſingula officia in provinciis aſſignatis exequuntur, & pariter cum judicibus provincialibus particularia certis temporibus anni aſſignata judicia, qui termini ſive *roki* vulgo dicuntur, exercent. Enſifer quoque regni & Vexillifer Curiæ regiæ, qui Curiale vexillum in bello defert, non poſtrema dignitate funguntur. Non etiam auctoritatis fruſtrantur honore ipſi Secretarii, Scribæque ſive Protonotari Regii. Inſuper Cubiculi, Stabuli, Culinæque Magiſtri, ſuis dignitatibus in Senatus conſultu gaudent. Civitatum, oppidorum, arcium regiarum, provinciarumq; præfecti, referendarii ſupplicum libellos & ſubditorum querelas ad Regem & Senatum deferentes, ſummuſque regis Secretarius & Referendarius, ſalinarum, fodinarum & metallorum præfecti, non ignobili certe dignitate potiuntur. Legati quoque provinciarum & civitatum præcipuarum, ab univerſis ordininibus de ſingulis provinciis nomine totius nobilitatis electi, ſuas in Senatu partes occupant, Equites quoque & patricii viri, juvenes virtutibus & genere præſtantes, aulici, qui in aula regia ſervientes in præſtandis quotidianis officiis Regi operam

operam navant,ſtipendiaque merentur. Inſuper Cubicularii ſive Veredarii, qui cum Epiſtolis regiis per omnes provincias amandati velociſſime diſcurrunt. Demum ſtipendiarii, & ſatellites, ſive collaterones regiæ vitæ cuſtodes, poſtremum auctoritatis locum obtinent. Omnibus autem ſenatoribus ſub fidei juramento & amore patriæ, eadem eſt perpetua & conſtans tuendæ publicæ libertatis & progandi imperii voluntas. In Senatu cum de Republica deliberant, libere, & ſæpius acerrime, ſententias dicunt, Regem imprudentius regnantem objurgant, atque uno conſenſu ſanctiſſima majorum inſtituta & communis patriæ chariſſimas leges ad extremum vitæ defendunt.

Capitanei Generales in minori Polonia XL, in majori XXX, in Ducatu Maſoviæ XII, quæ officia nulla ſucceſſione, ſed ex Regis gratia in benemeritos de Republica conferuntur. hi enim provinciis præſunt, & nobilitatem, regia auctoritate, pro tribunali judicant, omneſque proventus regios exigunt, & in theſaurum referunt.

Regno Poloniæ ſaluberrima aura favet, omniumque rerum ex terra naſcentium fertiliſſima eſt, cujus ubertatem cæteræ regiones tranſmarinæ affatim

perſentiunt, ad quas frumentum grandi copia de Polónia navibus advehitur. Pecoribus quoque omnis generis, venationibuſque abundat, ita ut Saxonia, cæteræque gentes Germanorum, Polonicis Bovibus victitent. Incolæ habitum variarum diverſarumque nationum more geſtant, præcipue vero, Italicum, Hiſpanicum & Hungaricum, qui illis peculiaris eſt. Alii Germanico, Turcico, Moſchovitico, Bohæmicoque more veſtiuntur. diverſas enim & repoſtiſſimas provincias peragrant, unde varios mores in patriam inferunt. Viri ſunt excellentiſſima induſtria præditi, variarumque gentium idiomata callent: inprimis vero linguæ Latinæ peritiſſimi, qua ut vulgari majori ex parte in civitatibus & pagis paſſim utuntur. idq; omnibus divitibus ac pauperibus peculiare eſt, quod inprimis pueris literis imbuendos, apprimeque ad conſumptionem ſedecim pluriumve annorum in pulveribus ſcholaſticis committunt, ſumptibus pro magiſtris minime indulgendo. Vnde linguam Latinam omnes fere congrue callent. Idque ea de re maxime obſervatum crediderim, quod vulgaribus literis vel ſcripturis in ſacris ac profanis rebus nunquam utantur; omneſque leges tam civiles, quam nobilium, ac villanorum, &

ipſa

ipſa Cancellaria Regni ac Caſtrenſis, Latinis literis omnia expedit. Atque ideo factum eſt, ut paſſim docti omnes evaderent. Habent præterea Poloni & Lituani linguæ Latinæ inflexionem propriam & perfectiſſimam, ut Latinarum dictionum ſonum proprie ad juſtum accentum expreſſionemque ſecundum literas ipſas, quadam cum gratia & dulcedine, inflectere ac proferre queant. Qua de re Polonia omnium fere gentium ſtudia viciſſe videtur, quod rarus eſſet qui Latinas literas non calleret, deinde Germanicum, Hungaricum, ac paſſim Italicum, & magna ex parte Gallicum, Hiſpanicumque, extra vulgare ſuum Sarmaticum, idiomata neſciret. Equites in ornamentis equorum, armorum, veſtibuſque præſumptuoſis plurimum delectantur. Campeſtri prælio alacrius hoſtem quemlibet parvis & magnis copiis adoriuntur. Caſtra etiam artificioſe collocant, curribus in gyrum arcte diſpoſitis; adeo ut in illis tuti non aliter atque in arce firmiſſima includantur. Viri ſunt bellicoſi, ſtrenui, hoſtiſque quamvis validiſſimi impavidi. Armatura majori ex parte Hungarorum more utuntur; clipeoſque qui totum hominem equo inſidentem tegunt, & haſtas oblongas geſtant: pluresq; inter eos tãtę animoſitatis

 sepe

reperiuntur,ut unus alium,quamvis toto exercitu ſuorum profligato, ad mortem uſque non deſerere,ſed uterque ſtrenue dimicando honeſte occumbere, quam turpiter fugere malit. Prout in Moldavia duobus fratribus germanis, Struſouiczii dictis, Polonis equitibus, evenit, qui ab exercitu ſuorum aberrantibus cum quinquaginta com militonibus, inſcii in multitudinem Valachiorum inciderunt.à quibus undique circumventi, in primo congreſſu unus occubuit: alter vero ſtrenue dimicando evaſit;ſed cædis fratris germani recordatus, in exercitum Valachiorum converſus,acies eorum fortiter diſverberabat;& quamvis evadendi facultas iterum ei pateret, tamen honeſtius cum fratre occumbere quam evadere maluit. Melſtinius quoque, cum Vitoldus Dux Lituaniæ multitudineTartarorum fugaretur, ex fuga audacter converſus in confertiſſimas hoſtium acies ſeſe conjecit,multiſque hoſtium trucidatis, tam diu ſtrenue dimicavit, donec prorſus telis confoderetur, equoque dejiceretur, MCCCXCVII, ut latius patet in Lituaniæ Ducum deſcriptione. His etiam multi ſimiles in geſtis Polonorum reperiuntur, quos ſigillatim recenſere, infiniti laboris eſſet. Id vero illic maxime non ſolum inter fratres

fratres, ſed inter ſocios fideles reperitur, prout nuper Vilnæ in Lituania me præſente evenit. Duobus adoleſcentibus, per plateam civitatis pergentibus intempeſta nocte, duo alii armata manu occurrerunt, ubi inter defendendum unus adverſarium ſuum interemit aufugitque. Socius vero illius captus cędiſque damnatus in locum decollandi poſtridie ducitur: cumque jam carnifex gladio evaginato ſtaret, ille reus cædis, qui profugerat, accurrens dixit: Sinite hunc innocentem abire; ego enim hanc cædem perpetravi. itaque ille genua flectens à ſpiculatore decollatus eſt, innocens vero liberatus.

Nobiles humilioris fortunæ, injurias à Magnatibus illatas non patiuntur. nam quamvis pauperrimus nobilis [extiterit, amicis cognatiſque ſuis collectis, quam maximum magnatem debellare poteſt. non ſolum enim poſſeſſiones pro neceſſitate amici exponunt: ſed etiam vitam ſuam pro eo morti variiſque periculis objiciunt. qua de re magnates in Polonia, non parvi ſibi pauperem vulgum Nobilium ducunt. In Lituania econtra, Nobiles humilis fortunæ, magnatum ſunt ſervi. Accidit in Polonia, me præſente, quod quidam magnæ auctoritatis vir, Dominus Ioannes Luthomirski,

mirski, Theſaurarius regius ſupremus, Capitaneus Lancicienſis & Radomienſis, Caſtellanuſque Siradienſis, quoſdam pauperes Nobiles, Mikolaievvſczi dictos, injuria affecerat; qui collecta manu conſanguineorum, cum magno comitatu proficiſcentem occiderunt, inque fruſta diſſecarunt. Cumque hic Nobilis aut honore privandus, aut capite plectendus pro prædicto facinore eſſet, honorem vitæ præferens citatus ad Comitia Lublini celebrata, alacriter comparuit, ibiqùe honore integro, ex ſententia Regis, decollatus eſt. Quod ſi huic genti nimiæ comeſſationes, & divitiarum pluſquam liberales prodigæ profuſiones, inebriationes, non obfuerint, omnes fere gentes virtute innata & ingeniis heroicis ſuperarent. ſed unus pro ſanitate alterius (prout illis mos eſt) bibens poculum magnum funditus exſiccat, quamvis natura interdum repugnante; ſicq; hæc eorum mutua charitas, quam illi maxime in conviviis celebrant, eos multoties ſanitate privat, multiſque ex nimia inebriatione infirmitatibus corripiuntur. Cum enim unus alteri pro ſanitate præbibit, non ſolum poculum vitreum, ſed ligneum, vel figulinum, capiti illidit, tandem poſtridie ſurgens infirmitate correptus, vinum incuſat, amphoræ obli-

oblitus, quam ad caput colliſerat. Multi quoque inter eos, præcipue in Ducatu Maſoviæ, reperiuntur, qui ſeſe alterutrum bibere vi complexi cogant, dicentes: Aut mihi præbibe, aut mecum armis decertato. interim vero alter arma quam poculum, quod natura recuſat, alacrius eligit.

Aulicorum miniſtrorum ſervitorumque, tantas univerſi Sarmatæ, præſertim Poloni, Maſovitæ, Lituani & Ruteni, fovent turmas, ut nunquam ſperares eos educari poſſe, qui nullum aliud officium agunt, niſi Dominum aliquo migrantem, comitari, vel aliquo amandati munus injunctum obire: à cæteris ſervitiis prorſus liberi immuneſq;. Mechanicum opus nobilis ſervitori ingenuo, quamvis pauperrimo, obire non patitur, nec demandat: quod ſi aliquis minus diſcretus ſervitori negotium minus honeſtum mechanicumve injunxerit, ruſticum ſibi ad id muneris inveniendum eſſe, ſe vero honeſto ſervitio minime abdicaturum, reſpondet. Et ideo Nobiles Nobilibus, pareſque genere & virtutibus, paribus plerumque inſerviunt, cum honeſta & nobilia ſervitia obeunt, contra occidentalium gentium conſuetudines, apud quas nobiles nobilibus turpe inſervire putant, quod mechanica ſervitia,

quicquid Dominus demandaverit, obire cogantur. Apud Sarmatas vero, qui melius bibit pro ſanitate Domini, ille melior cenſetur miniſter; & poſtquam Dominus menſæ accubuerit, & ſervitores ſtatim ordine ſervato accumbunt; aliquandoque tres quatuorve menſas occupabunt, quibus liberaliter fercula opipara apponuntur, ut quilibet aulicorum tres ſervitores ſua portione educare poſſit, quam ipſe ſaturatus puero à tergo ſtanti, in quadra laute porrigit. Aulicus enim quilibet ſervitores aliquot & pueros habere ſolet, & illi ſervitores alios ſervitores, pueri pueros, ad quartum uſque ordinem, ad menſam ejuſdem Domini omnes cibaria ſumentes, & ſalaria recipientes. Et plerumque majori ex parte, niſi ad menſam inſerviunt, peracto prandio, vel cœna, ſaturati, inclinatis de more gentis coram Domino genibus, capitibuſque adapertis, quo volunt diſcurrunt; & quandoque triduo, quatriduove, vel integra hebdomada, Dominus ſervum in tabernis vel in comitiva occupatum non videbit: raro tamen ubi fuerit interrogatur; & ſi interrogatur, reſpondet, ſe pro ſanitate Domini hilariter bibiſſe; ad quem Dominus ſubridens gratias agit, & plerumque liberaliter hujuſmodi remunerantur.

Quo-

Quodam tempore accidit, dum quidam Epiſcopus per theſaurarium ſuum aulicis & ſervitoribus ſalaria ſive ſtipendia ſecundum conſuetudinem ad unamquamq; partem anni perſolveret, aſtantibuſque omnibus ordine ſuo, quidam latrunculus (qui eadem in aula nemini ſerviens verſabatur, bibens & comedens quotidie ad menſam Epiſcopi) cæteris ſervitoribus ſalaria expetentibus ſe intermiſcuit ; quibus adverſus eum murmurantibus, quod nemini ſerviens ſtipendium expectaret, Epiſcopus illum interrogat, cuinam inſerviret, & quid negotii obiret? Qui reſpondit : Tibi, reverendiſſime Domine, inſervio, & id quod alii, ſtrenuus adimpleo. Quale nam ſit ſervitium, Epiſcopo interrogante, dixit: Quotidie bis in die laute ad menſam tuam comedo & bibo. Cui Epiſcopus ſubridens ſtipendium perſolvit.

Nobiles legibus caſtrenſibus & terreſtribus à Regibus ſuis conſtitutis utuntur, ad civitateſq; provinciales & diſtrictuales, quas ſuperius enumeravimus, citantur, nomine Capitanei illius regia munia obeuntis, qui arci provinciæque præeſt; hoſque terminos caſtrenſes appellant. Ad terreſtres vero terminos, qui rarius celebrantur, in anno ſex, inter quatuor vices, nomine Regis in eandem

arcem citantur,ubi à judice terreſtri vices Regias adimplente judicantur. Cives vero in civitatibus Imperatoriis legibus, quas Magdeburgenſes appellant,utuntur.

Deductio & origo celeberrima gentis Lituanorum probabilis. hactenus à nemine Hiſtoricorum Latinorum explanata.

PTolomæus ille univerſi orbis geographus curioſiſſimus, his in regionibus, quę hodie à Lituanis coluntur,&quę eorum ditioni,utpote Ruſſia,Podolia,Volhinia,Podlaſſia Samogitiaq;,ſubſunt,hos populos colonias ſuas(quorum hodie ne veſtigiũ quidem apparet) antiquitus habuiſſe recenſet, Galindos, Bodinos, Geninos, Sudinos, Carīones, Amaxobios, Stabanos, Sturnos, Naſcios, Aſubios, VVibiones, Ombrones, inter Lublinam & Breſtiam,Sargatioſq;. Quos omnes ex Cymbris,Gotiſque & Sarmatis, ortum ſumpſiſſe,idem Ptolomæus aſſerit. Sarmatorum autem deductio cum latius à nobis deſcripta pateat,Cymbrorum nomen & ſucceſſiones mihi explanandę videntur. Cymbros itaq; à Gomero nepote Nohæ ex maximo natu filio Iapheto ortos eſſe, nomenq; ab eo per tot ſecula paululum immutatum trahere, conſen-
tiens

tiens omnium hiſtoricorum opinio eſt. Hæc poſteritas Iapheti, cum majorem orbis terrarum partem in Europa Aſiaq; minori occupaverit, quod ipſi cum Etymon nominis dilationem ſignificantis, tum fauſta Nohæ parentis imprecatio portendebant;pars eorum à Gomero orti,ad Boſphorum Cimmerium Męotidis paludibus proximum, (qui de illis Cimmerius eſt appellatus,) ultra fontes Tanais fluvii,ubi in ducatu RheſanenſiMoſchoviæ Principi ſubjecto oritur, ſedes ſuas habuerunt. Poſtea ſucceſſu temporis,quod haud difficile illis fuit, per regiones propinquas,Ruſſiam, Lituaniam, Livoniam,& Boruſſiam, nunc Pruſſiam appellatam, & Cymbricam Cherſonneſum,ubi Svveci,Dani,Golandi,progreſſi, toto eo litore ſe paſſim diffundentes late dominati ſunt, & caſtrato paululum nomine, literaque interjecta, Cymbri nuncupati. Quando vero & qua occaſione hæc migratio contigerit, quoniam nulla gentis ab eo tempore monumenta extant, ex quibus id conſtare poſſit, ignotum eſt. Cæterum, fuerunt ſemper Cymbri gens bellicoſa, ſtrenua, manu prompta; id enim res ab ipſis fortiſſime audaciſſimeq; geſtę teſtantur. His namq; coloniis ſeptentrionalibus relictis in numero trecentorũ millium,per Germano-

manorum regiones in Helvetiam Galliamque inprimis penetrarunt. Deinde Hiſpanias populabundi vaſtaverunt. Inde annum circiter centeſimũ decimum ante natum Chriſtum in Italiam excurrerunt, quam vaſtabundi paſſim deprædarunt, Romanorumque Conſulem Papyrium Carbonem cum univerſo exercitu fuderunt. Poſtea ab eiſdem M. Iunius Sylvanus, & ipſe Conſul, contracta infœliciter pugna, ſuperatur. Aurelius deinde Scaurus Conſulis legatus amiſſis copiis Romanis, in manus eorum vivus perveniens, à Bolo Rege Cymbrorum occiditur. Id Tacito affirmante actum eſt, anno trecenteſimo quadrageſimo poſt urbem conditam. Tandem Romani majoribus copiis collectis in aditu Alpium contra Cymbros exercitum opponunt, fuſi tamen & ad internecionem proſtrati; ubi C. Manlius in pugna interfectus occubuit. Octuaginta vero millia Romanorum militum cæſa. Q. Servilius Cœpio, Imperator exercitus, ex conflictu funeſto vix cum denis elapſus, Romam tantæ cladis nuncius perveniens, bonis omnibus publicatis, ex decreto Senatus, quod temeritate ſua exercitum perdiderit, jugulatur. Ajunt, Romanos uno in prælio majori clade & detrimento nunquam affectos eſſe;

eſſe;quamobrem ſuſpenſis metu animis; de exitu imperii ſui magnopere ſolliciti, præſentique rerum ſuarum periculo vehementer conturbati ſunt, cum hoſtes exitium Vrbi minitantes propediem adventare nunciarentur. Cajum Marium ex Libya,ubi Iugurtam devicerat,ducem bellicoſiſſimum & fortunatum vocaverunt; duobuſque annis ab illa clade Romanorum elapſis, Marius Cymbrorum & Teutonum ad aquas Sextias cruento prælio ducenta millia fudit; tantaq; fertur cæſorum multitudo, ut Maſſilienſes, congeſtis defunctorum oſſibus, vineas eiſdem obſepſerint, ſanguineque humano agri, quaſi ſtercore multo pingueſcentes, uberrimi feraciſſimique redditi ſint. Itaque Cymbri attenuati numero & viribus, ſed animo minime fracti, in unum conglobati, Q.Catuli Proconſulis exercitum in fugam verterunt, ad fluviumque Ateſin caſtrametati ſunt. Quo Marius ſumma celeritate advolans, conjunctis copiis ſuis cum exercitu Catuli, inito prælio XXIX Iulii, centum quadraginta millia Cymbrorum occidit. Qua clade ad extrema redacti Italia egreſſi, patrias oras, utpote Daniam, Pruſſiam, Sueciam, Livoniam, Lituaniamque petierunt;ex quibus illi qui Lituaniam occupaverant, Gepidæ nuncupati

pati fuere. Hac vero in regione, ubi Samogitia, Ænæas Sylvius Maſſagetas, gentem Plinio celebrem, conſediſſe teſtatur. Lituanorum vero gentem, qui antiquitus Gepidi vocabantur, ex Gotis oriundam. Eraſmus vero Stella pulchris rationibus affirmat, cum Duce Litalano, ſive Litvvone, Vedenuti Pruſſiæ regis filio, anno Domini 573, in has regiones vicinas, patris imperio, quas olim Alani incolebant, veniſſe, Lituaniæque nomen à ſui denominatione ejuſdem indidiſſe. Samogitiam vero á fratre ejuſdem Lituonis Saimone principe appellatam, idem Eraſmus Stella in Pruſſica hiſtoria teſtatur, quæ tunc temporis longe in Pruſſiam & Livoniam uſque extendebatur. Similiter Lotialos, ſive Lotvvonos, qui nunc Livones poſt Germanorum ingreſſum Latinis dicuntur, ab eodem Litvvone cum Litvvania pariter nomen traxiſſe. Hæ autem gentes, utpote Pruteni, Polovvci, Samogitæ, Gepidæ, Lituani, Livones, Curlandi, Iatvvingi ſive Iazyges & Iaczvvingi appellati, ut unum idioma, ita eoſdem mores, conſuetudines, legeſque & bellorum expeditiones in Chriſtianos, concordi Marte ſemper habebant, niſi ſingulæ ſingulis principibus finibuſque certis dirimebantur. Iaczvvingi autem fuerunt populi crudeliſſimi,

ſimi,qui in finibus Lituaniæ,juxta Maſoviam,ubi hodie Podlaſſia, colonias ſuas habebant,nec in bello referebant pedem, quin vincerent aut vincerentur: ideo bellis aſſiduis interierunt; reliqui eorum in Lituanos,Ruſſos & Maſovitas, ob vicinitatem, abierunt. Opinantur alii,Lituanos à lituo, quod cornu venatorium ſignificat,dictos eſſe; quorum opinio,ut anilis & ſtulta, jure ab omnibus irridetur. Matthias autem Miechovienſis & Dlugoſus,Polonicę hiſtorię indagatores, ac annales Rutenorum teſtantur,Italos, Duce Palæmone,vel ob tyrannidem Neronis, vel promeritum exilium, aut ab Attila Hunnorum rege crudeliſſimas patriæ vaſtationes fugientes, has regiones,longa navigatione ſuperata, ex ſinu maris Baltici, quod Pruſſiam, Samogitiam, Livoniamq; alluit, per Nemnam fluvium,Crononem Ptolomæo dictum, claſſe ingreſſos fuiſſe; quod & ipſa gens Lituanica ſtrenue aſſerit. Quamplures enim dictiones Latinæ & Italicę idiomati eorum intermixtæ habentur. Ajuntque, hunc Palæmonem(quem ipſum nomen, Latinum Italumq; eſſe prodit)cum certa comitiva ex nobilibus propinquitate junctis collecta,quorum præcipuos, Vrſinos, Columnas, Iulianos, Cæſarianos, Gaſtaldos recenſent, Lituaniæ nobilibus
fami-

familiis & ſtemmatibus principia dediſ-ſe; vulgum vero Lituanorum, utpote colonos & agreſtes, ex Gotis natos aſſe-runt; in hancque ſententiam plurimi Polonicæ & Germanicæ ac Ruſſorum hiſtoriæ ſcriptores aſtipulantur; quorum judicio & auctoritati nos quoque ac-quieſcentes, cum eiſdem ſentire volu-mus.

Hic itaque Palæmon ob innatam in-duſtriam à gente barbara Princeps ſalu-tatus, eam nomine patriæ ſuæ Italiæ (præpoſito articulo Italis in fœminini generis nominibus efferendis conſueto) *la Italia* appellaſſe creditur, quæ poſtea longo temporis ſucceſſu, Italicis mori-bus idiomateque in barbariem populi commutatis, Lituania dicta eſt. Quidam etiam eoſdem Italos à littore maris Bal-tici, quod Pruſſiam, Livoniam, Lituaniæ ac Samogitiæ extrema alluit, eo quod ibi prius conſederint, Lituaniam conno-minaſſe putant. Succedente poſtea Pa-læmoni quodam ex eadem gente Prin-cipe, Itali recens Latinorum nomen non modo depoſuerunt: ſed ignotam quo-que & peregrinam eorum incolarum linguam, apud quos principatum ar-ripuerant, addiſcentes in ſuam coopta-runt, vivendique normam & modum cum eiſdem barbaris ſuſceperunt. Cæte-rum

rum, hæc gens Lituana longo tempore à ſui imperii primordiis obſcura fuit, Rutenorumque jugo ſubjecta, ut Princeps Kiovienſis, Ruſſiæ quondam Monarcha, ab eis periomata ſuberaque, ob egeſtatem & ſoli ſterilitatem, in ſignum tantummodo ſubjectionis exigeret: Donec Mendolphus ſive Mendog, & VVitenen, Gediminuſque, duces illuſtres heroica magnanimitate illa innata, dudum peritia rei militaris oppreſſa excitata, rebellionem contra Rutenos ab anteceſſoribus ſuis inceptam continuantes, unus poſt alium in Lituaniæ imperio ſuccedentes, Ruſſiæ Principibus partim ſtrenuo marte, partim aſtu frequentius aggreſſis, & quaſi debellatis, ſenſim adeo viribus creverunt, ut jugo Rutenis omnibus injecto, etiam ad tributa ſibi pendenda eos compellerent, quæ pluribus ab annis Rutenis ipſi pendebant, ac pro periomatibus & ſubere aurum argentumque exigere.

Ducatus Samogitiæ.

SAmogitia Regio ſatis ampla, proxima Lituaniæ, à Septentrione Livoniæ contermina eſt, mariq; Balteo ſive Germanico ab occidente, nonnihil in ſeptentrionem reflectendo adjacet: Pruſſiam quoque in vicinia habet. Nullo ca-

ſtro munito inſignis eſt, civitates tamen in ea, cum pagis tam Regiæ quam nobilium, complures ſunt. Huic regioni præfectus, ſive Capitaneus ſupremus, à Rege Poloniæ, magno Duce Lituaniæ, præponitur, neque temere is niſi graviſſimas ob cauſas officio movetur, ſed quoad vivit perpetuo manet. Epiſcopum habet Romanæ obedientiæ. Agreſtis turba in humilibus caſis, iiſque oblongioribus, vitam ducit, in quibus ignis in medio accenſus ardet, ad ignem vero paterfamilias cum domeſticis ſerviſque ſedet, jumentaq; & totam ſupellectilem domeſticam cernit: Solent enim ſub eodem quo ipſi habitant tecto, ſine ullo interſtitio pecora habere. Majores eorundem cornibus animalium, urorum videlicet, pro poculis utuntur. Audaces ſunt & ſtrenui homines, & ad bellum prompti, loricis aliiſque plurimis armis, præcipue autem cuſpide venatorum, utuntur. Equos adeo parvos habent, ut vix credibile ſit ad tantos labores, eos poſſe ſufficere, quibus foris in bello domique in colendis agris utuntur. terram non ferro ſed ligno proſcindunt: quod eo magis mirandum, cum terra eorum tenax & non arenoſa ſit. Araturi, ligna complura, quibus vomeris loco utuntur, ſecum portare ſolent; ſcilicet,

ut

ut uno fracto, aliud atque aliud, ne quid in mora ſit, in promptu habeant. Quidam ex provinciæ præfectis quo provinciales graviore labore levaret, multos ferreos vomeres fabricari fecerat: cum autem eo, ſequentibuſque aliquot annis, ſegetes quadam cœli intemperie exſpectationi agricolarum non reſponderent, vulgus agrorum ſuorum ſterilitatem ferreo vomeri pertinaciter adſcribebat, nec aliud quicquam in cauſa eſſe putabat. præfectus eorum vulgi ſeditionem timens, amoto ferro ſuo, eos more agros colere permiſit.

Provincia hæc nemoribus ſylviſque abundat, in quibus horrendæ quandoque viſiones fieri dicuntur. Mel nuſquam melius nobiliuſve, quodque minus ceræ habeat, albumque ſit, quam in Samogitia reperitur. Sylvæque illic ſummas divitias ferunt. ſtipitibus enim cavatis mella paſſim promuntur. Sunt etiam nunc illic inter agreſtes, idololatræ complures, qui ſerpentes quoſdam, quatuor brevibus, lacertarum inſtar, pedibus, nigro obeſoq; corpore, Givojitos patria lingua dictos, tanquã penates domi ſuæ nutriunt, eoſq; domo luſtrata certis diebus ad appoſitũ cibum prorepentes, cum tota familia, quoad ſaturati in locum ſuum revertantur, timore quodam circumſtantes vene-

rantur. Quod ſi adverſi illis aliquid acciderit, ſerpentem deum domeſticum male acceptum nec ſaturatum eſſe credunt.

Accidit hoc nuper in Lituania ſex à Vilna miliaribus in pago quodam juxta civitatem Troki, quod quidam Chriſtianus ab ejuſmodi ſerpentis cultore aliquot alvearia apum emit. quem cum ad verum Chriſti cultum multo labore adduxiſſet, utque ſerpentem quem colebat occidere perſuaſiſſet, aliquanto poſt, cùm ad viſendas apes ſuas eo reverſus fuiſſet, hominem facie deformatum, ore aures tenus miſerabilem in modum diducto, offendit. tanti mali cauſam interrogatus, reſpondit, ſe quod ſerpenti deo ſuo domeſtico manus nefarias injeciſſet ad piaculum expiandum hac calamitate puniri, multoque graviora, ſi ad priores ritus ſuos non rediret, pati oportere. Eſt etiam quatuor à Vilna milliaribus Lavariſki villa Regia, in qua à multis adhuc ſerpentes coluntur. Hæc quamvis non in Samogitia ſed in Lituania geſta ſunt, pro exemplo tamen adduxi.

Agreſtis turba in Samogitia Sacrificium quoddam ſolenneſque epulas gentili more ſub finem menſis Octobris collectis frugibus quotannis celebrant hoc modo.

modo. Ad locum convivio epuliſque ſacris delectum, omnes cum uxoribus, liberis & ſervis conveniunt, menſam fœno ſuperſternunt, deſuper panes apponunt, & ex utraque panis parte duo cerviſiæ vaſa ſtatuunt. Poſtea adducunt vitulum, porcum & porcam, gallum & gallinam, & cætera domeſtica jumenta, ex ordine mares & fœmellas. Hæc mactant gentili more ad ſacrificandum hoc modo. In primis augur ſive incantator quiſpiam, verba quædam proferens, animal verberare baculo orditur, deinde omnes qui adſunt jumentum per caput pedeſque baculis verberant, poſtea tergum, ventremque, & cætera membra, concutiunt; dicentes: Hæc tibi, ô Ziemiennik deus, (ſic enim illum dæmonem agreſtis turba appellat,) offerimus, gratiaſque tibi agimus, quod nos hoc anno incolumes & omnibus abundantes conſervare dignatus es: nunc vero te rogamus, ut nos quoque hoc anno præſenti fovere, tueri ab igne, ferro, peſte, & inimicis quibuſlibet, defendere digneris. Poſtea carnes jumentorum ad ſacrificium mactatorum comedunt, & ab unoquoque ferculo antequam comedant, portiunculam amputant, & in terram omneſque angulos domus projiciunt, dicentes: Hæc tibi ô Ziemiennik

noſtra holocauſta ſuſcipe & comede benignus. Omneſque tunc temporis lautiſſime ſolenniter & opipare epulantur. His vero ritus gentilis, & in Lituania Ruſſiaque ab agreſtibus, quibuſdam in locis obſervatur. Mare quod Samogitiam alluit, Baltæum, à quibuſdam Germanicum, ab aliis Prutenicum dicitur: ſinus Balticus proprie nuncupatur. Interluit enim Cimbricam Cherſoneſum, quæ Germanis *Iutland*, Latinis *Iutia* vocatur. Alluit quoq; Germaniam, & omnem Pomeraniæ regionem, atque longo tractu Livoniam, Curlandiam, Regioneſque quaſdam Moſchorum Principis, Svvetiam, Phinlandiam, Daniamque circumluit. Hujus Regionis Samogitiæ, Rex Polonus, magnus Dux Lituaniæ, titulo utitur. Vexillum album bicorne ſtemmate Magni Ducatus Lituaniæ, in campo rubeo inſignitum, Samogitia in bello geſtat. Incolæ Regionis, omnibus fere cum Lituanis veſtiuntur habitu cinericio, moribus, regione, idiomate, paucula differentia interjecta utuntur. Ideo nunc ad deſcribendos mores Lituanorum orationem dirigemus.

Lituania admodum ſylvoſa eſt, prout & Samogitia. paludes lacuſque ingentes & ampliſſimos, in quibuſdam locis ma-

ris formam referentes, habet. Præterea multos fluvios navigabiles. quorum alii orientem verſus, utpote Bog(Herodoto Hipanis dictus) Perepetus, Tur, Svviſlocz, & Bereſina, in Boriſtenem, vulgo *Dnepr* dictum, exonerantur. Boriſtenes vero pluribus fluviis hauſtis in oriente, tandem in meridiem decurrens, in Pontum Euxinum illabitur. Alii vero, Cronon, vvlgo *Niemen* dictus, Vilia, Karevv, Bug, in occidentem nonnihil in Septentrionem reflectendo decurrunt, in mareque Germanicum juxta Gedanum celeberrimum emporium Pruſſiæ exonerantur. Dzvvina autem, Ptolomeo Rubon, ex Moſchovia ortus, à Riga duobus miliaribus eidem mari commiſcetur.

Animalia in Lituania omnis generis parva ſunt. Gens miſera, maxime in villis & pagis, gravi ſervitute oppreſſa. nam ut quiſque famulorum caterva ſtipatus; domum coloni alicujus ingreſſus, impune quidvis facere, res ad vitæ uſum neceſſarias capere, abſumere, crudeliter etiam colonum verberare poteſt. Colonis quavis de cauſa ad dominos ſuos abſque muneribus aditus non patet, quod ſi etiam admittantur, ad præfectos & officiales relegantur, qui niſi munera accipiant, nihil boni decernunt;

& unumquodque verbum judicis in Lituania aurum eſt. Coloni, quinque dies, aliquando ſex, dominis ſuis laborant. dies vero lunæ privato labori conceditur. atq; utplurimum diebus Dominicis (nulla enim Divorum feſta agreſtes obſervant) quodvis opus abſolvunt, agriculturam exercent, ſegetes prataque metunt, triturant, & id genus alia. Hoc vero & in Ruſſia peculiare eſt. quod ſi interrogaveris, Quare Dominico die laboras? reſpondere ſolent, Nonne & die Dominico comedere oportet? Imperatam pecuniam quotannis ter quaterq; pro defendendis regni finibus pendunt. à dominis quoque tributis adinventiciis graviter onerantur. Pane atro & viliſſimo, ſiligine una cum ſpicis commolita, utuntur. Molendina ſive piſtrina manualia agreſtes in pagis trina quinave domi habent, eiſque ad commoliendas fruges utuntur; dumque hæc molendina manibus vertunt, patrio more agreſtem quendam concentum edere ſolent, dicentes, Melior; hocque verbum frequentius ad cantilenæ ſimilitudinem repetunt. Id vero eſt tam viris quam mulieribus peculiare, quod de illa re, quam tunc in opere habent, cantilenas agreſtes canant. Tubas quoque ligneas oblongas habent, quas inflantes,

ſtantes, mirum quendam & diſſonum concentum edunt; aliquandoque unus duas inſimul tubas, harmonia quadam reſpondente inflat.

Omnes fere Lituani, & Samogitæ, Livoneſque, veſtitu vili cinericio communiter utuntur, ut cum turmatim vulgum ſtantem in foro conſpexeris, neminem niſi cinericia veſte indutum videas, coturnoſque ex tiliæ libro, vel ex pellibus jumentorum, una cum ſetis detractis, conficiunt. Currus leves abſque ullo ferri miniſterio confiociunt, & omnia compangunt arboreis gomphis, & ligna coacta vicem ferri complent, rotaſque ex uno ligno in gyros aptas contorquent. Pinguedine vel pice nunquam linunt currus, & quando multi inſimul vehuntur, mirus quidam concentus querulorum axium longe auditur. Verſus.

Neque linunt Ruteni querulos pinguedine currus:
Haud picis auxilium ſtridulus axis habet.
Auditur veniens longe crepitare colaſſa;
Sic fragiles currus, Ruſſe, vocare ſoles.
Nam faciunt habiles uno vectore quadrigas
Invectas Ruteni, quas equus unus agit.

Nec facile invenies ferrato hærentia clavo
Plauſtra, facit ligni cuncta miniſterium.
Et ſine ferri uſu pangunt ſua plauſtra terebris,
Et lignum ligno conſolidare ſolent.

Frumenta omnis generis, primo in calidiſſima caſſa, fumo exſiccant, & poſtea in horreo coram extructo excutiunt.

Arandi ſeminandique modus in Ruſsia alba Moſchoviæ confini, & in Magno ducatu Lituaniæ.

INprimis agros hoc modo præparant. Circa feſtum Divorum Petri & Pauli, in æſtate, ad feſtum uſque aſſumptionis Mariæ, nemora myriceſque exſcindere ſolent, quam excifionem arbuſtorum vulgariter *Lada* appellant. Nam ſi nemus denſum fuerit, ſtramine ſuperſternunt, per hyememque ſic durare patiuntur. Vere autem poſtea redeunte, poſt Paſchatis feſtum, ſole torrido aliquot diebus ingruente, illam proſtrationem prædictam arbuſtorum, ſtramine ſuppoſito ſuperſtratoque, ſuccendunt, & in cinerem comburunt. ubi vero terra combureretur, illic nihil fere naſceretur. ideo ligna incombuſta congerunt, in ſtruemque compoſita, denuo ſuccendunt, ſicque in illa terra combuſta & in-

& inculta, collectis duntaxat carbonibus, & titionibus ſuperfluis, triticum ſeminant primo, & ſupra ſementem, uno equo juncto aratro arant & occant, in Ruſſia videlicet. Lituani enim bobus cornibus aratrum trahentibus arare ſolent, tantaque ibi fecunditas dictu incredibilis ſubſequitur, ut Cererem in illis regionibus natam affirmares. Eodem modo & hordeum ſeminatur, metitur, & colligitur; niſi quod craſſiora nemora pro hordeo exſcinduntur, & pinguiorem terram triticum exigit. In hujuſmodi autem agris, per annos ſex vel octo fimo ſtercoreque non ſuperpoſito, ſeminare ſolent.

Quod ſi arbores nimis altæ & craſſæ in ea ſylva, ubi ſeminaturi ſint, eſſent: utpote pinus, fraxini, robora, & id genus aliæ: eas non ſuccindunt; niſi frondes ramoſque circumſecant, ne ſolem agro præripiant. Ruſticus vero unus, omnes arbores una ſemel aſcenſa circumſecabit non deſcendendo. inſtrumentum enim ad id factum, quaſi ſedile, ad ſtapedæ ſimilitudinem ſecundum proportionem hominis ſedentis factum, arbori fune longo appendit; ſicque ſedens, à puero, fune alia ab arbore ad arborem facile transfertur: habetq; ad latus alligatum lignum curvum, ad id ſtudio præpa-

artum,

ratum, quo arbori appropinquatus, firmiter eam apprehendit, quam à vertice ad radicem uſque circumſecat, & frondes illas eodem modo ſupradicto æſtate redeunte ſuccendit & ſeminat.

Siliginem poſtea ſeminant hyemalem ſuper hæc culta novalia, tritico vel hordeo collecto: ſed duobus vicibus ad ſiliginem arare coguntur, quam ſeminare incipiunt circa feſtum aſſumptionis Mariæ XV Auguſti. Quod ſi ſegnis agricola non abſolverit ſeminationem ad alterum feſtum nativitatis Mariæ, quatuor hebdomadis, ad ſequentem VIII Septembris diem, tunc fructifero proventu conſueto fruſtratur. Hanc ſeminationem ſiliginis hyemalem appellant. Vere enim redeunte, aliam, Æſtivalem vocatam, ſeminant.

Eſt quoque alius ſeminandi mos nuper adinventus, in prædicta proſtratione ſucciſioneque nemorum ſuperius deſcriptorum, hoc modo: Duabus partibus hordei, tertiam ſiliginis intermiſcere ſolent, quam commixtionem vere inſtante, tempore conſueto ſeminant. eadem æſtate hordeum ſolummodo demetunt, ſiliginem vero ſubter hordeum ad modum graminis paulatim denſiſſime creſcentem per hyemem durare ſinunt: quę ſequente ęſtate, adeo fœcun-

cundiſſime deſiſſimeq; exereſcit, ut equo vix eam denſitatem penetrare poſſis; & ex uno grano triginta plureſve ſpicę pullulare in tantam altitudinem ſolent, ut vir equo inſidens, vix ex ea appareat. Omnes vero agros Ruteni uno equo juncto aratro, proſcindere ſolent. terra enim per ſe nimis facilis eſt.

Hic autem ordo in ſeminandis frumentariis, in tota fere Sarmatia obſervatur. Primo poſt feſtum Paſchæ triticum ſeminant. poſtea ſiliginem æſtivalem dictam: ab æſtivali ſeminatione vulgariter Iarzycza appellatur, ad differentiam hyemalis ſiliginis, quæ, ut diximus, pro feſto aſſumptionis Mariæ ſeminatur ad hyemem futuram: unde vulgariter Ozimina dicitur. Ex hac ſi æſtate ſeminaretur, nihil prorſus naſceretur, & è contra ſi æſtivalis ad hyemem pro hyemali ſeminaretur (quamvis ſibi grano ſimiles eſſent, & ejuſdem quaſi naturæ viderentur) nulli uſui eſſet, ſed in gramen inutile verteretur.

Hanc itaque æſtivalem circa feſtum Paſchæ ſeminant. Secundum agri poſſibilitatem præparationemque, Poloni, Lituani & Ruteni nigri, cum Maſovitis & Prutenis, propter ſoliſque beneficium, & regiones temperatiores, priori ſeminatione longe antecedunt Rutenos albos.

albos & Moſchovitas in Septentrionem degentes, qui ob intemperiem aëris poſterius his omnibus ſeminare coguntur. attamen interdum eodem tempore agros demetunt. Hoc autem mirum eſt, quod ſiliginem ſeminantes æſtivalem, poſt Paſchatis feſtum interdum, aliquot elapſis hebdomadis, tamen eadem æſtate, ut decet maturam quaſi per octo duntaxat hebdomadas, demetunt, colligunt & recondunt.

Piſa circa ferias divi Adelberti ſeminant, vulgariter *Groch* dicta, quæ ad longum uſum exſiccata reſervant.

Avenam & hordeum poſt Pentecoſtes feſtum ſeminant, quæ vulgariter *Owies* dicitur. Hordeum *Ieczmien* appellant.

Cicer undecim poſt Paſcha hebdomadis elapſis ante D. Petri feſtum ſeminatur. *Tatarka* Polonis, *Grecicha* Rutenis & Lituanis dicitur.

Rapæ circa D. Ioannis Baptiſtæ ferias ſeminantur. Et omnia eadem æſtate ſeminata colliguntur, triturantur, triturataq; in domibus reconduntur, ita ut granum ex penu ad ſeminandum depromptum, in decem, aliquando in octo hebdomadis, ſecundum ſolis clementiam, ad penu unde exivit revertatur, agricolę ſuo centuplum fructum referens.

Pro-

Poloni omnes, Ruteni nigri, (quorum Metropolis Leopolis eſt,) Maſovitæ, Sileſii, Pruteni & Lituani quidam, in horrea & acervos magnos recondunt frumenta, & aliquando apud bonum patrem familias quadringentos ſexcentoſve acervos, quaſi turres quadrangulares eminentes reperies, ad quindecim pluresve interdum annos reconditi frumenti plenos.

Sed Ruteni albi, Moſchovitæque omnes, & Lituani, ſtatim de agro in penu frumenta defalcata & triturata congerunt & recondunt. quidam in cavernis ſubterraneis, in abditis ſylvarum ſtudio ad id effoſſis, & intus bene cum corticibus arborum adaptatis, frumenta, inſuper omnia victuaria, carnes porcinas ſalſas, & id genus leguminum ad victum pertinentium, veſteſque & præcipuam ſuppellectilem, recondere ſolent, præſertim belli tempore, ubi miſeri coloni ſecuri ſint ab incurſu hoſtili frequenti & rapinis ſuorum militum.

Hoc autem apud eos in villis pręcipue obſervatur: Si quis forte capite damnatus fuerit, de ſeipſo, jubente domino, ſupplicium ſumere, ſuiſque manibus ſe ſuſpendere, etiam ſi recuſaverit, minis verberiſque exagitatus cogitur. Atque hæc nobis de Lituanis ſufficiant.

Hic

Hic tibi Lector candide ſciendum reſtat, quod in hoc magno ducatu, qui Polono Regi cum univerſis ſuis provinciis ſubeſt, plurima ſunt oppida & caſtra tam regia quam Nobilium, Eccleſiaſticorumque, quæ hic non ſunt poſita. Hic enim nos ſolummodo provinciales inſignioresque civitates & arces, quæ olim pro ducatibus cum ſuis territoriis habebantur, deſcripſimus. Sunt præterea complures duces particulares in Lituania, Comitatuſque; ex quibus Slucenſis Ducatus celebrior eſt. Princeps enim illius, quamvis Regi Polono Magno Lituaniæ Duci ſubſit, & ad quævis mandata Regis exequenda paratus fuerit, rerum tamen in ſuo ducatu qui xxx miliaribus Polonicis in longitudinem & latitudinem patet, integre potitur, & theſauro privato cum Italiæ Germaniæque quibuſvis Principibus magnis, facile adæquari poteſt. Sunt quoque duces alii plurimi inſignes, quorum reſpectu Magnus Ducatus Lituaniæ dicitur. Ex his primas obtinent, Illuſtres & Magnifici Domini Radivilones, Dominus Nicolaus Radivilus, in Bierze & Dubingii dux, lumen patriæ & alter Cicero, Hectorque Lituaniæ, Palatinus Vilnenſis, & illuſtris Heros Nicolaus Chriſtophorus Radivilus, Dux in Olika & Nieſvvicz,

Comes

Comes in Schidlovviec, Marſchalcus Curiæ digniſſimus, fraterque ſuus idem Dux, Dei gratia Epiſcopus Vilnenſis deſignatus, Georgii nomine gaudens. Ille quoque alter Scipio illuſtris heros Dominus Ioannes Chodkievvicus, Comes in Sklovv & Meſs, Caſtellanus Vilnenſis, Archimarſchalcus magni Ducatus Lituaniæ, exercituumque imperator & gubernator Livoniæ, ac capitaneus Samogitiæ generalis, virtutum ſpeculum inſigne, Martiſque & Minervæ alumnus. Inſuper multos alios heroum antiquorum quorumvis dignitatem adæquantes duces, & viros inſignes, Lituaniæ celeberrimus principatus fovet, quos ſigillatim recenſere ut difficile ac longum, ita minus neceſſarium nobis videtur.

Articuli conſtitutionum bellicarum Magni ducatus Lituaniæ, in Comitiis generalibus conſtituti, à Supremoque & generali copiarum imperatore fortiſſimo, & heroe perpetua memoria digniſſimo, illuſtri Domino Gregorio Chodkievvicio, Caſtellano Vilnenſi, confirmati & militibus imperati.

OMnis qui ſe obligaverit ſervitio Sacræ Regiæ Majeſtatis, debet in eo ad tempus præſcriptum perſeverare. Si ve-

ro longius ſervitium militare indictum protractumque fuerit; miles autem ſervire amplius nolens in primo quartuali non indicaverit; tunc indictum ſervitium ſequentis quartualis adimplere tenebitur.

II In alterius armis nemo audeat ſervire, ſub pœna amiſſionis honoris.

III Si quis è caſtris diſceſſerit, ſervitio non finito; nobilis ille ſi fuerit, honoris; plebeius vero capitis pœna puniatur. Ille autem qui ejuſmodi hominem occiderit, præſertim non habentem literas à Campiductore, ſive Rotmagiſtro ſuo, juſte ab eo factum cenſebitur.

IV Lites, diſcordiaſque, milites invicem ſeminare non audeant, ſub gravi pœna.

V Quod ſi aliquis ex militibus, præcipue vero pedeſtribus, arma ſua ſtipendiaria quibus hoſtilis impetus arcetur, luſu alearum amiſerit, vel ſi eques equum militiæ deſtinatum perluſerit, tam lucrator, quam amiſſor, uterque ſuſpenſionis pœna puniatur.

VI Quicunque in Campiductorem, ſive Rotmagiſtrum ſuum, Decurionemve, vel etiam ſervus in Dominum ſuum, manu aut verbis inhoneſtis ſeſe commoverit, capitis pœna plectatur.

VII Si quis in cuſtodes caſtrorum

impe-

impetum fecerit, vel cuſtodiam demandatam obire renuerit, aut ad cuſtodiam ſine voluntate campiductoris abierit, capite puniatur, excepto, ſi excubiæ ordinariæ illum prævenerint.

VIII Quicunque vulneraverit aliquem in ductu legionum ſub extenſione vexilli, pœna honoris & capitis puniatur.

IX Quicunque pedeſter in cuſtodia locum ſuum non tenuerit, aut cauſa alicujus neceſſitatis inde diſceſſerit, vel ſi in ordinatione aciei excubiiſve obdormierit, vel officium injunctum indiligenter oſcitanterque obierit, circumſpectori excubiarum liberum erit talem interficere. Si autem Campiductori oblatus fuerit, capitis pœna puniatur, honoreque privetur.

X Si quis in cuſtodiam campeſtrem deſtinatus, ſive ex muro cum hoſte collocutus fuerit ſine voluntate Campiductoris, convictus teſtimonio, pro ejuſmodi facinore capitis pœna punitor.

XI Si aliquis miles ex theſauro Sacræ Regiæ Majeſtatis tam de tormentis pulverem globoſve, quam de aliis bonis Sacræ Regiæ Majeſtatis aliquid in uſum ſuum convertere auſus fuerit; ſine quavis miſericordia, turpi & vituperoſo mortis genere puniatur.

XII Si quis ſpeculatorem ab hoſtibus miſſum in domo ſua foverit, vel de illo notitiam habuerit; talis, omni miſericordia ſemota, in quatuor partes dilaniator.

XIII Quicunque tempore neceſſitatis, ſive conflictus, à vexillo in fugam ſeſe dederit, aut verbo aliquo fugiendi cauſam alicui præbuerit, caput & honorem amittito: ſimiliter qui tempore periculi non conſeruerit manus cum hoſte, puniatur.

XIV Si aliquis temerarie in terram hoſtilem irruerit, vel occaſionem hoſtibus dederit, ſine voluntate Campiductoris, caput amittito.

XV Tempore nominis dati (quod Polonice *haſlo* dicitur) unuſquiſque miles in ordine ſuo pacifice permaneat. Quod ſi poſt hoc extra ordinem comprehenſus fuerit, vel ſi nomen indictum interroganti proferre neſcierit, capitis pœna puniatur.

XVI Dato ſigno requiei per vocē tubę, nullos clamores aut ſtrepitus in caſtris aliquis facere audeat, ſub gravi pœna.

XVII Si quis litem aliquam tempore diſtributionis nominum excitaverit, vel bombardam in hoſtem exoneraverit, capite plectatur.

XVIII Tabernę & nocturnę comeſſationes

ſationes prohibitæ & vetitæ tunc temporis ſint, ſub gravi pœna.

XIX Nemo militum audeat aliquid violenter alicui eripere, ſub pœna ſuſpenſionis. quod ſi aliquid acceperit præter victum, quod uniusgroſſi pretio conſtet, ſinequavis miſericordia juguletur.

XX Nemo militum victus acquirendi cauſa abſque ſervo Campiductoris in villas audeat diſcurrere, neve alicui injuria inferatur, ſub pœna gravi.

XXI Hominem alienigenam, advenam, & ignotum, nemo in ſervitium militare ſuſcipere audeat ſine licentia Campiductoris, ſub gravi pœna.

XXII Servitorem alterius commilitonis, ſive Decurionis, nullis ad ſe perſuaſionibus & promiſſis allicere audeat, ſub gravi pœna.

XXIII Nemo militum equos ſtipendiarios currui jungat; neque cauſa neceſſitatis privatæ, quamvis oportunæ, illis uti, vel alicui in uſum dare audeat, ſine licentia Campiductoris.

XXIV Advehentibus victum in caſtra, ſi aliquid per vim raptum fuerit, ſuſpenſionis pœna eſto.

XXV Si quis in viam publicam mercandi præripiendique victus cauſa extra caſtra abierit turpe ob lucrum, graviter puniatur.

XXVI De emptione & venditione cibi & potus, Campiductor æſtimationem faciat.

XXVII Quicunque ante æſtimationem aliquid emerit, emptor pecuniis, venditor mercibus privetur. ſimiliter & de eo intelligendum eſt, qui cariori pretio quam Campiductor conſtituerit, aliquid vendere auſus fuerit.

XXVIII Satellites à Campiductore miſſos, ad comprehendendum malefactorem, nemo verbis inhoneſtis proſcindere audeat, ſub gravi pœna. Similiter adminiſtratori juſtitiæ carnifici, nemo illudere audeat, ſub pœna honoris.

XXIX Militum præfectus ſub pœna honoris tenetur indicare, quot milites in legione ſua deſiderentur. Arcis vero ſive civitatis, cujus prẹſidia agit, incolam aut civem ad militiam nemo ſuſcipere audeat ſine licentia Campiductoris, ſub gravi pœna.

XXX Vnuſquiſque militum præfectus diligenter animadvertat, ne arcem fidei ſuæ concretam ad ultimum uſque periculum vitæ tradere præſumat, ſub honoris & capitis pœna.

XXXI Decuriones commilitoneſq;, ſi rotmagiſter (quod abſit) per ſigna aliqua caſtrum hoſtibus tradere conatus fuerit, illũ captum campiductori prẹſentare tenentor.

XXXII

XXXII Rotmagiſter, ſive militum præfectus, ad reſerationem & occluſionem portarum caſtri, quotidie præſens tenetor adeſſe, neminique caſtrum tempore incongruo aperire audeat. Noctu vero omnes milites congregatos habere in arce tenetor.

XXXIII Nemo in caſtrum intromittitor, niſi certa notitia de illo habeatur, cujas ſit, vel ob quam cauſam venerit; &, ſi juſtam cauſam dixerit, ſolus in caſtrum abſque famulis intromittatur, qui abſque Campiductoris licentia intromitti non poſſint.

XXXIV Quicunque militum, maxime autem pedeſtrium, deprædationis cauſa in terram hoſtilem frivolus abierit, talis pœna capitis puniatur.

XXXV Si alicui cuſtodia ordinaria venerit, ille autem præſens cuſtodi non adfuerit, capitis pœna eſto.

XXXVI Si quis cuſtodię munus obiés, ſequentis cuſtodiæ adeuntem non expectando abierit temerarie, caput amittito.

XXXVII Cui ex ordine cuſtodiam obire contigerit, idq; muneris temerarie per ebrietatem alearumque luſum neglexerit, caput & honorem amittito.

XXXVIII Nullus rotmagiſtrum commilitonumve extra arcem diſcedat, neque ſuos milites ad quamvis legationem

 nego-

negotiorum ſuorum deſtinare audeat, ſine licentia Campiductoris, maxime vero Campiductore ibidem præſente, ſub gravi pœna.

XXXIX Rem forte inventam nemo apud ſe pernoctare ſinat, ſed Rotmagiſtro ſuo ſive Campiductori eam indicet, ſub pœna patibuli.

XL Quicunque militum abſque armis ad quæ ſtipendia accepit, ambulaverit, vinculis corrigatur.

XLI Nemo rixas motuſque aliquos in arce exercere audeat, ſub pœna atroci. quod ſi quis alicujus vulneraverit caput, item pro frivola gladii extractione, manum amittito.

XLII Ad quamvis juſtam defenſionem arcis, maxime obſidionis tempore, nemo militum eorum, qui prçſidia agentes in ea manent, propter ſeipſos laborare detrectet.

XLIII Rotmagiſtri & Decuriones, ſinguli ſuos milites ſemper inſtruant, doceantque, quomodo unuſquiſque in acie legitime ordinateque ſtare, & armis ſuis competentibus commode uti poſſit. quod ſi ex ordine aliquis foras exceſſerit, caput amittito.

XLIV Commilitones, ſive Decuriones, honeſte ſeſe gerant erga Rotmagiſtrum ſuum, non ſolummodo manu, verum

rum etiam verbis. ſimiliter & Rotmagiſter erga eoſdem, neminem dehoneſtando, verberandove. ſed ſi quid aliquis peccaverit, in corona omnium Decurionum, ſociorumque, eum judicet & puniat. rebellé vero Campiductori indicet.

XLV Quod ſi aliquis commilitonum, ſociorumve, ſive ipſe locum-tenens, Articulos ſupra ſcriptos, honoris & capitis pœna præmunitos, juſte & legitime non obſervaverit, eum Rotmagiſter ſuus Campiductori ſub fidejuſſione & nobilitatis honore ordinate tranſmittat.

Pruſſiæ cum ſuis provinciis, civitatibus, omniumq; magiſtrorum Crucigerorum Teutonici ordinis, juxta ſeriem, compendioſa deſcriptio.

PRæclarus ille Germanorum legatus, & orator apud multos extraneos Principes celeberrimus, Æneas Sylvius, qui in Pruſſia legationem frequenter obibat, ſcribit in ſuis Chronicis, quod Pruſſia rectius & convenientius, Vlmigavia appellanda ſit, & hoc non ſine cauſa: nam populus qui hanc regionem primo incolebat, Vlmigavus nuncupabatur. Ioannes autem Boëmus ſcribit, ab ortu ſolis in hanc Regionem populos Amaxobios, Alanos, & Gotos, Venedoſque.

ſive Vandalitas commigraſſe. Matthias vero Miechovienſis, Polonorum Chronographiæ ſcriptor, lib.2. cap.8. refert, Regem Bitiniæ Pruſſam nomine ab Hannibale Carthaginenſi admonitum, ut Romanis bellum inferret: quod cum ille ſuſcepiſſet, male ei ceſſit. Longe enim pluribus Romani totius orbis Domini quam Pruſſa rex Bitiniȩ copiis valebant. quocirca ab illis adeo cum univerſo exercitu profligatus eſt, ut Bitiniam Regionem propriam relinquere cogeretur, & in Vlmigaviam longa peregrinatione venire, quam à ſuo nomine Pruſſiam appellavit Commemorat & in alio loco eorundem Chronicorum idem Miechovienſis, multos Romanos in terram iſtam propter atrocia bella Romæ exorta migraſſe, ſeque partim in Pruſſiam, partim Lituaniam, Livoniamque & Samogitiam diffudiſſe. Eraſmus vero Stella aſſerit, in hanc regionem gentiles quoſdam populos, Sargatianos, Gelidanos, Alanos, Venedoſque veniſſe, qui omnes in Vlmigavia, non diu tamen, domicilium habuerunt. Sebaſtianus autem Franc, Germanorum Chronographiarum ſcriptor, ſic de Prutenis eorumque ſedibus inquit. Pruteni proximi ſunt Viſtulæ, ſive Vandalo fluvio, qui Poloniam à Germania diſter-

minat

minat. hic fluit ex Sileſia; Poloniaque minori & Maſovia præterlapſa per Pruſſiam Gedanum uſque decurrit, ibique in ſalſum mare exoneratur.

Ab æquinoctio itaque Pruſſiam Saxonia attingit: ab occidente Pomerania & mare Balticum ſive Germanicum: ab ortu ſolis Lituaniæ, à meridie Poloniæ regno & Maſoviæ Ducatui contermina eſt: à Septentrione Curlandia Livoniaq; terminatur. Regio eſt fertiliſſima, frugum pecoriſque abundans. Incoluerunt illam (maxime autem juxta Viſtulam fluvium) Vlmigavi, Alani, Amaxobii, Gothique, ut teſtis eſt locupletiſſimus Ptolomeus. Hæ gentes inprimis immundos ſpiritus & profanas creaturas adoraverunt, uſque ad tempora Friderici Cæſaris hujus nominis ſecundi, cujus conſenſu & approbatione à Teutonici ordinis Crucigeris qui primo Mariani vel Pauperiani nuncupabantur, perdomiti ſunt, & ad fidem Chriſtianam converſi, anno Domini 1216. De his fuſius Chronica Pontificum, De ordine fratrum Tevvtonicorum eorumque origine legi poſtunt. Poterit inſuper Sebaſtianus Francus in ſecunda parte Chronographiæ ſuæ videri.

Priſca antiquorum Prutenorum religio.

ANno Domini 503, Gentilibus Prutenis, ſive Vlmigavis, Rex quidam Brutenodictus imperavit. qui cum juſtos annos ætatis conſecutus eſſet, regium ſceptrum diutius tenere reſignavit, quietam vitam ducere inſtituens. quocirca fratremVeiidenutum ſucceſſorem ſibi in regno elegit: traditoq; fratri ſceptro, ipſe Bruteno ſummus ſacerdos gentili ritu effectus eſt, nomenque ei dignitatis inditum fuit Kirie Kirieiito, quaſi dicas, Proximus noſter Dominus. Huic Pontifici ſuo Pruteni & idolis, præclaram ſane & cum maximo ſumptu habitationem, ſub quercu quadam erexerant, locoque Romanæ à Roma nomen indiderunt. Circa hanc quercum octo ulnarum in latitudinem & altitudinem tela optima ſericea extenſa fuit. in quam habitationem nemo præter Patriarcham eorum Kirie Kirieiito dictum, & præcipuos miniſtros idolorum munia obeuntes, intrare poterat. Si autem aliquis inviſendi, honorandi, adorandi vel offerendi gratia ad Idola veniſſet, tunc conſtituti Deorum miniſtri telam, ut idola viderentur, à quercu ſemovebant. Quercus hæc tripartita fuit. inter cæteras ſylvas quer-

quercinas delectiſſimo in loco (ubi nunc oppidum Heyligenbeil, id eſt, ſancta ſecuris, conſtructum eſt) ſita erat. Ex una parte Prutenorum deum, qui Petuno, id eſt, fulmen, dicebatur, habebant. In hujus laudem & honorem ignis ex quercubus conſtruebatur, qui die noctéque perpetuo ardebat, & nunquam extinguebatur. quod ſi negligentia miniſtrorum ad hoc officium præſtandum deputatorum ignem extingui contingeret, capitali ſupplicio afficiebantur. Ex altera parte collocatum erat Patrimpo idolum, cujus cultus erat in ſerpente vivo retinendo, qui lacte, ut eo commodius viveret, alebatur. Tertia ex parte dæmoniacum idolum, Patelo nomine, ſitum fuit. hujus honor in retinendo alicujus mortui hominis capite conſiſtebat. Habuerunt præterea alios multos deos quos adorabant, cultuque divino proſequebantur; ſemper tamen inter querceta holocauſta eis offerre ſolebant; & quot fere res habebant tot præſides & deos conſtituebant. Fuit igitur deus ſingularis Vurſchayto gentiliter dictus, quem magno honore venerabantur, & pro lare ſive deo domeſtico ſuper omnia mobilia, jumentaque, utpote equos, boves, oves, capras, ſues, &c. eum præponebant. Alter Deus fuit Shneybrato dictus;

ctus; hunc ſuper anſeres, gallinas, anates, columbos, pavones, &c. conſtituebant. Tertium Deum domeſticum, Gurcho dictum, habebant; is omnibus eſculentis cibariiſque præponebatur.

Præterea tonitruis, lunæ, ſtellis, ſerpentibus, bubonibus, & omnibus pene creaturis, divinum honorem deferebant. Fuit hic populus quondam barbarus & incultus, nec ullam ſcripturam noverat. propterea nec fidem adhibebant, ſi quiſpiam diceret, hominem homini per literas animum & voluntatem aperire poſſe. Potus illorum, aqua melli commixta, & lac equinum erat. Liberales valde & hoſpitales advenis ſe exhibebant.

Diviſio Pruſſiæ in duodecim Ducatus.

ANno Divinæ incarnationis 373, Vedenuto Princeps Pruſſiæ, (qui Bruteno fratri voluntarie ſceptra deponenti ſucceſſit,) duodecim filios procreavit; quorum hæc nomina fuere: Saymo, Neydro, Sudo, Slavo, Natango, Barto, Galindo, Varmo, Oggo, Pomedzo, Colmo, & Lituo. Cumque jam Vedenuto Princeps, centeſimum decimum ſextum annum attigiſſet, regiones Pruſſiæ inter filios diviſit, Saymonemque natu

natu majorem ſummæ rerum præfecit. Atque ita Pruſſia in duodecim Ducatus, ſecundum filiorum Principis Vedenuti numerum, diviſa eſt, & unuſquiſque à ſuo Principe nomen accepit. Quos hic ſecundum ordinem cum ſua diſpoſitione, caſtriſque & civitatibus, annorumque numero, quando videlicet à Crucigeris potiſſimum erectæ ſint, deſcribemus.

Sudavia, Ducatus I.

PRimus & præcipuus Pruſſiæ ducatus Sudavia olim erat, quià Sudavo Vedenuti filio, Principe ſuo, nomen ſortitus eſt. Hic Ducatus omnes alios & præſtantia & fertilitate antecellebat: nam quocunque tempore neceſſitatis, ſex millia equitum, & octo millia peditum præſtare valebat. In hac regione præcipui Nobiles & Proceres totius Pruſſiæ priſcorum tempore ſedes ſuas habebant. nunc autem paludibus & ſylvis maximis obſitus ſcatet, nec ullum veſtigium tam inſignis & nobilis regionis remanet, præter ſeptem pagos, quos coloni poſſident, in Luptavenſi territorio. tota enim eſt devaſtata à Crucigeris ordinis Tevvtonici, non aliam ob cauſam, quam propter inobedientiam & infidelitatem. Diſtinguit Suda-

Sudaviam à Sambia regione palus quædam; à ducatu vero Nadravenſi fluvius Lavvo appellatus.

Sambia, Ducatus 2.

SAmbia, nunc Szamland appellata, regio Pruſſiæ, à Principe Saymo nomen accepit. Hæc priori, cum potentia, tum fertilitate, non multum cedere videtur. poterat enim ex illa 4000 equitum, & 4000 peditũ congregari. A Natangia regione, fluv. Prægel dicto, diſterminatur.

Sequuntur caſtra & civitates ad Sambienſem Ducatum pertinentes.

Lebenicht, condita anno	1256
Kneypach, anno	1380
Regiomontum cum caſtro & antiqua (ut illi appellant) civitate,	1260
Fiſchuſia,	1269
Lechſtet,	1289
Mulmelburgia,	1279

Girmavia, Bobetia, Tyremburgia, Rudavia, Lubtavia, Bonũdia, Neuhuſia, Schaccia, Roſitta, VVargia, Chremetia, Caymen, Ceilgarbia, VValdovia.

His nominibus arces in Sambia olim appellaba[illegible] cum ſuis civitatibus, quæ omnes à Crucigeris bene muratæ & foſſis cinctæ extiterunt. nunc quædam arces in curias judiciales redactæ ſunt, qua-

quarundam etiam magna pars humi proſtrata jacet.

Natangia, Ducatus 3.

NAtangia regio à Principe Natango nomen ducit, quæ à Bartia regione flumine, Alla nominato, ſecernitur; à Pomeſania Paſſaria fluvio diſterminatur. Regio eſt optima. arces & civitates plurimas, prout inferius ordine deſcriptæ ſunt, habet.

Valdovia civitas, condita anno Domini 1256
Girdavia civitas, anno 1326
Cintia oppidum, 1313
Creneburga civitas cum arce, 1253
Heyligenbeil oppidum, 1301
Fridlandia civitas, 1312
Schippenbeilia civitas, 1319
Brandenburga oppidum cum arce, 1362
Balga arx, 1239
Damnovia civitas, 1400

Nadrovia, Provincia 4.

REgio Nadrovia à Principe Nadro denominata eſt. eam à Natangia fluvius Pregiel diſterminat; à Slavonia, Nara amne diſtinguitur. Hæc majori ex parte à fratribus ordinis Tevvtonici, propter infidelitatem incolarum devaſtata eſt.

Reliquiæ ejus & veſtigia reperiuntur, caſæ & tuguria, in quibus piſcatores habitant.

Slavonia, Ducatus 5.

SLavonia regio quondam, Priſcorum Prutenorum temporibus, pro Ducatu computabatur. A Principe Slavo nomine denominationem accepit. Ex majore parte à Lituanis Crucigeriſque depopulata eſt. Eam à Lituania Memula fluvius diſterminat. Has infra ſcriptas munitiones & arces complectitur cum civitatibus & oppidis.

Ragneta, à Crucigeris fratribus conſtructa anno incarnationis divinæ	1253
Tilſa, anno	1289
Renum, anno	1276
Licovia,	1273
Salavia,	1385
Labia,	1258
Tapia,	1255
Vintburgia,	1409
Chriſtoverder,	1253
Boytia,	1338
Ceſtia,	1185
Norbeitia,	1381
Vonſdorfa,	1391
Angerburgia,	1412
Dringofortia,	1403

Bar-

Bartonia, Ducatus 6.

BArtonia à Barto Principe nominis etymologiam ducit. Cum Lituanis & Moſchovitis, terminis diſceptat. A Lituania 70 ſtagnis & ſolitudine, à Galindia vero flumine quodam finitur. Nunc magna ex parte à Lituanis & Crucigeris pervaſtata eſt. Arces has cum oppidis, à Crucigeris erectas, complectitur.

Nordemburga, munitio à Crucigeris erecta anno	1505
Iohanſburga, anno	1268
Gurgburga,	1259
Inſterburga,	1342
Rihteverder,	1396
Bartovia,	1365
Rhenum,	1375

Galindia, Regio 7.

HÆc regio à Galindo Principe Galindia nuncupata eſt. Cujus Maſoviæ ſylva ingens à Meridie fines excipit. Quondam tam populoſa fuit, ut ſucceſſu temporis, populus in ea progenitus, locum non haberet. Vnde præpoſiti regionis obſtetricibus ſevere mandarunt, ut nullam fœminei ſexus poſt partum prolem, hac luce frui permit-

terent. quam rem cum minus obſervatam animadverterent, mamillas fœminis, ne amplius prolem educarent, amputarunt. quod facinus mulieribus ſummæ triſtitiæ & miſeriæ cauſa fuit. Erat autem in illa regione mulier quædam, auctoritate, nomine & potentia clara, quæ pro Prophetiſſa habebatur: oracula enim interrogantibus dabat. Huic cum mulieres calamitates ſuas expoſuerunt, Prophetiſſa illa, miſeræ ſorti fœmineæ condolens, dolos quibus viros circumveniret, & perpetratum facinus ulciſceretur, expiaretque, indagare cogitareque cœpit; convocatiſq; omnibus proceribus, & nobilioribus viris Galindiæ, monuit eos, ut Chriſtianis bellum, ſine ullo armorum genere, (eventus enim rerum prædicere ſolita erat) quam celerrime inferrent: hanc enim voluntatem deorum eſſe, ſerio affirmabat. quibus Galindæ auditis, ſine ulla mora (certum enim eſſe credebant) juvenes ſeneſque valida manu inermes in Polonorum & Maſoviorum Chriſtianorum provincias cum impetu excurrunt, nactaq; ingenti hominum & jumentorum præda, ad ſua proficiſcuntur. Interim vero captorum Chriſtianorum aliquot auſugiunt, continuoque reliquis Chriſtianis nunciant, quomodo Galindi ſine armis

in

in terram eruperint. Chriſtiani re intellecta bene armati Galindos aſſecuti maxima cruentaque ſtrage profligant, prædamque repetunt; bellumq; continuantes, fugientes hoſtes in regionem uſque eorum perſequuntur; quam armis & igne evertunt. reliquias tamen matronarum, ancillarum, & juvenum, in captivitatem abducunt. Has civitates & munitiones Galindia complectitur.

Orteleburgum caſtellum, cujus inſtaurationis annus eſt	1266
Raſtemburgum oppidum,	1329
Neyburgum arx & oppidum,	1238
Paſſenhumia oppidum,	1388
Dreſchlovia arx & oppidum,	1358
Lucia caſtellum,	1348
Lucemburgia oppidum,	1349

Varmia, Regio 8.

VArmia ſive VVermelandia regio à VVarmo Principe nomen ſortita eſt. à Pomeſania provincia ſtagno, & flumine à Paſſaria diſcernitur: à Natangia parvis quibuſdam fluviis. has arces cum civitatibus complectitur:

Reſſel arx & civitas, extructa anno 1337.

Sreburg arx, anno	1348
Bichofſtein civitas,	1325
VVartemburga civitas,	1325

Allenſtein arx & civitas, 1367
Melſatia arx & civitas, 1326
Helſberga arx & civitas, 1320
VVernteditum arx & civitas, 1316
Gulſtadia civitas, 1326

Hogkerlandia, Provincia 9.

HOgkerlandia ſive Pomeſania à Principis nomine Hogo appellata eſt. Eam à Natangia, Paſſaria fluvius ſeparat: à Pomeſania, duo fluvii, Melſink & Draſen appellati. Haſque arces cum oppidis complectitur.

Brandemburgum caſtrum & oppidum, extructum anno 1258
Frauemburgum oppidum, 1279
Tolkiemit oppidum, 1365
Munhuſia caſtellum, 1365
Scharpovia, prædium, 1400
Elbingenſe caſtrum, conſtructum anno 1237
Civitas vero ipſa Elbinga, celebris & populoſa, emporio clara, inſtaurata eſt anno 1239

Culmenſis, Ducatus 10.

CVlmia Regio Pruſſiæ, à Culmo Principe denominationem trahit. A Polonia & Pomerania, Viſtula fluvio ſecernitur: à Pomeſania, flumine Oſſa: à Michlovia vero & Dobrinia territoriis,

Dre-

Drebnicz fluvio, fines ſuos dirimit. Has civitates & munitiones habet.

Culmina, civitas ampla, erecta anno	1223
VVentſlavia arx, anno	1215
Alduſia caſtrum,	1238
Grandentz arx & civitas,	1299
Gugeleburga civitas,	1230
Schonſe arx cum civitate,	1305
Straſburga arx & civitas,	1285
Bartonia arx,	1346
Neumarckt civitas,	1325
Rogoſna arx,	1293
Colmenſe civitas,	1251
Torunia arx cum civitate ampliſſima, emporio clara, ad Viſtulam condita anno	1235
Papavia arx,	1375
Frideck arx,	1331
Lipno arx,	1319
Leſna civitas,	1328
Golba arx & civitas,	1300
Luben arx cum civitate, extructa anno	1233
Reden civitas cum arce,	1233
Bergelavia arx,	1305
Lautergurgia arx,	1301

Hujus Ducatus titulo rex Poloniæ utitur.

Pomeſania, provincia II.

POmeſania à Pomeſa principe, finitur ab aliis regionibus Viſtula, Elbinga, Druſno, Drobnicz, VVeſſera. multæ in ea præclaræ arces & civitates, ut ſequitur, habentur.

Marienburga civitas ampla, anno Domini 1302 extructa eſt: arx vero anno 1281 à fratribus Tevvtonicis erecta ſub Magiſtro ordinis Hartmano Comite Heldrovienſi, natura loci munitiſſima, valloque fortiſſimo & foſſa profunda circumducta, muro & propugnaculis, ac commeatu copioſo, apprime firmata, Regis Poloniæ præſidiis tenetur.

Nevvtichia opidum, extructum anno Domini 1329
Stum arx cum civitate, 1249
Criſtburga arx & civitas, 1258
Preuſmarck arx, 1329
Salfeld civitas, 1328
Merinek arx cum civitate, 1290
Holand arx & civitas, 1329
Lubſtadia civitas, 1202
Oſſterrada arx & civitas, 1270
Roſenburga arx cum civitate, 1289
Marienverder arx cum civitate, 1311
Garneſia civitas, 1328
Germanica Eilovia arx cum civitate, 1337

Leb-

Lebmulia civitas,	1337
Hohenſtein civitas,	1301
Schonembergia arx,	1319
Roſembergia civitas,	1315
Eilemburga civitas,	1299
Neumburga civitas cum arce,	1289
Salavia civitas cum arce,	1306

Michlovia, *Provincia* 12.

MIchlovia admodum anguſta terra eſt. inter Brodnam & Drebnicz fluvios jacet. Hujus cauſa Poloni cum fratribus Teutonicis perpetuas rixas fovebant. Nullam arcem præter unam civitatem Straſburgam, & tres munitiones, Berklii, Dornik, & Mechloviam habet.

Pomeraniæ regionem ampliſſimam, longo tractu mari adjacentem, unde & nomen habet, in Poloniæ regionum deſcriptione latius indicabimus. De qua multa bella Poloni cum Prutenis gentilibus & Crucigeris habebant. In hac ſita eſt celeberrima urbs Gedanum ſive Dantiſcum appellata. à mari Germanico uno miliari abeſt. eam celeberrimus fluvius Viſtula præterlabitur, ibidemque ampliſſimis oſtiis in mare exoneratur. Celeberrimum in ea totius Pomeraniæ & Pruſſiæ emporium eſt, regi Poloniæ ſubjecta, anno Domini 1285 tranſlata.

Prutenorum priſca barbaries.

PRuteni Gentiles, barbarie indomita rigentes, perverſi & infideles erant, vanas creaturas quaſlibet pro Diis colebant, nec ſe ad fidem Chriſtianam converti patiebantur. Idiomate proprio à Livonico non diſſimili utebantur, Polonis & Maſovitis tributarii erant, ſed frequenter nacta occaſione jugum excutiebant, ideo multa bella longo tempore Poloni cum eis tenuerunt. Poſtea anno Domini 1211, Conradus Maſoviæ Princeps, ex regibus Polonorum genus ducens, à Prutenis Gentilibus ſæpius variis excurſionibus infeſtatus, ad Imperatorem Fridericum hujus nominis ſecundum, legatos deſtinavit, implorans auxilia adverſus infideles Prutenos, qui libenter fratres ordinis Teutonici Crucigeros, à Saracenis tunc temporis Hieroſolyma pulſos, in Pruſſiam 20000 miſit, quibus Princeps Maſoviæ Culmenſem terram inprimis donavit, cum arce Dobrzinenſi, hac conditione, ut tempore neceſſitatis ſubſidium ſibi contra infideles Prutenos ferrent, Pruſſiamque ſubjugatam inſimul partirentur. Hic quædam de origine Cucigerorum Teutonici ordinis ſubjiciemus.

Origo

Origo & Principium Teutonici ordinis.

ANno Domini 1188, cum Balduinus rex Chriſtianus Hieroſolymis regnaret, Saraceni & Barbari ex arce nomine Ptolomaida, latine Acona, Germanice Acris dicta, variis excurſionibus Sanctam terram infeſtare ſolebant. Quamobrem Rex contra barbaros Saracenos auxilium petiit à Chriſtianis. Longobardi igitur ſexaginta galeras, & in his quinquaginta millia virorum, in ſubſidium miſerunt, cum quibus multi homines probi, piæ peregrinationis cauſa, in terram Sanctam profecti ſunt. Horum numerus erat 500, partim ex Saxonia, partim ex aliis provinciis Germaniæ. qui omnes in unam navem congregati, Aconam uſque pervenerunt. ubi per integrum annum, cum infinita multitudine Chriſtianorum, Aconam, antequam caperetur, oppugnaverunt. In oppugnatione, multi Chriſtianorum, telis barbarorum læſi erant. unde in morbum inciderunt, paſſimq; ſparſi, cum neminem in terra aliena, qui ſublevaret inopiam, haberent, multi fame perierunt. Erant autem ex peregrinis præcipui, octo boni & pii viri Teutones, qui cum viderent Chriſtianos tam

miſere

miſere interire, commiſeratione ducti curam illorum ſuſceperunt, diligentiaque illorum plurimi infirmi convaluerunt. Poſtea Xenodochium, ſive hoſpitale, ſub titulo beatæ virginis Mariæ, Aconæ erexerunt. Primuſque Xenodochii præfectus, Henricus de Valpot electus eſt, ex Germania oriundus. hic maximam diligentiam in fovendis infirmis & egenis adhibuit. ultimum diem Aconæ peregit, ibidemque ſepultus eſt, anno Domini 1190. Poſtea Balduinus Rex, Hieroſolymis templum, & Xenodochium, pro pauperibus & pluribus nobilibus infirmis, qui in bello Aconienſi læſi erant, extruxit, ſub titulo beatæ virginis Mariæ.

Tandem anno 1191 Clemens Papa hujus nominis tertius hunc ordinem confirmavit, & intitulationem dedit fratribus Teutonicis, Xenodochii Hieroſolymitani beatæ virginis Mariæ. Præterea Divi Auguſtini regulam illis ſervandam impoſuit, Stemmateque cum cruce nigra eos inſignivit.

Poſtea Patriarcha Hieroſolymitanus, ſingulos fratres Teutonici ordinis à Pontifice Romano confirmatos, alba chlamyde ex utraque parte crucem nigram habente ornavit, ſicque illi habitum ſuum ſuſceperunt. Fuerunt qui veſtiti

ſtiti ſunt, XXIV fratres laioi & VII ſacerdotes. His lorica indutis, gladio accincto, miſſam celebrare conceſſum erat. nullus barbam tondebat, & ſuper ſaccum ſtramine impletum, regula jubente, dormiebant. ſed ſtatim hæc mira quadam metamorphoſi immutata ſunt.

Secundus, Henrico de Valpoth, primo magiſtro Xenodochii Hieroſolymitani, Otto de Karpen nobilis Germanus, in magiſterio ſucceſſit, anno Domini 1200, ſub Imperatore Romanorum Philippo hujus nominis II, & Innocentio ſummo Pontifice. Hic in humilitate & cordis ſimplicitate Deo & fratribus ſervivit. Sexto anno officium abſolvit. Aconæque ſepultus eſt.

Tertius ordinis magiſter Hermanus Brand Olſacenſis, electus eſt ſub Pontifice Innocentio III, & Philippo II, in ordine Germanorum Imperatorum XXII, anno 1206. Præfuit officio quatuor annis. Pauperibus quantum potuit ſatisfecit. Aconæ ſepultus eſt.

Quartus, Hermanus à Salicen, Nobilis Miſnenſis, Ottonis, & Friderici II, Imperatorum, Innocentii III & Honorii Gregoriique IX, Pontificum, temporibus, anno Domini 1210, electus eſt. Hic omnium præclariſſima privilegia Ordini à Pontifice, & Friderico II, Cæſare, conſe-

conſecutus eſt. Nam cum ſimultates & odia inter Pontificem Romanum & Fridericum Cæſarem exortæ eſſent: Ille hujuſmodi cladem prudentia ſua è medio ſuſtulit. Sub eo Conradus Marchio Turingenſis habitum ſuſcepit. Bis mille nobiles, & auratos equites Germanos, in ordine habuit, quos 30 continuis annis rexit. Ejus temporibus fratribus Ordinis à Saracenis Hieroſolyma pulſis, Pruſſia conceſſa eſt, Regum Poloniæ, Conradique Ducis Maſoviæ, & Imperatoris Friderici II, conceſſu. Qorum viginti millia in Pruſſiam venerunt, Pruſſoſque Gentiles, auxilio Polonorum, ex terra Culmenſi ejecerunt.

Quintus Magiſter. Conradus Turingorum & Cathorum Marchio, ſub Cæleſtino IV Pontifice, & Friderico II Imperatore, anno 1240, electus eſt. habitum Mariemburgæ in Pruſſia ſuſcepit, cum multis nobilibus adoleſcentibus, & viris eximiis, ac prudentibus. Cum Pruſſis Gentibus multa bella geſſit, magnoque labore fines Regionum Ordinis dilatavit, &, ſi quæ ruinam minarentur, illas reſarciens optime conſervavit. Poſtea è vivis exceſſit. Mariemburgæ ſepultus eſt.

Sextus Ordinis Magiſter, Poppa ab Oſterling, electus eſt Conradi IV Imperatoris

peratoris & Innocentii IV Pontificis temporibus, anno 1252. Multa præclara bella cum Prutenis, Livonienſibus, & Svvantopolo Duce Pomeranorum, geſſit. Poſtea ante Ligniciam civitatem cum Conrado Sileſiæ Duce, ſanctæ Heduigis marito, à Tartaris totam fere Sarmatiam vaſtantibus interemptus eſt: à Chriſtianis vero VVratiſlaviam delatus, ibique in Baſilica divi Alberti, terræ mandatus eſt. Hujus magiſtri tempore Regiomontum conſtructum eſt.

Septimus Magiſter, Ioannes Sangerhuſenſis, officium ſuſcepit, tempore Vilhelmi Comitis Flandriæ, Romanorum Imperatoris, & Alexandri IV Pontificis, anno 1263. Infidelium Prutenorum vires mirabiliter diminuit, Ordoque eo præſidente plurimum profecit. Dominicanorum Monaſterium Toruniæ fundavit. Brandenburga quoque civitas cum arce, ejus temporibus ædificata eſt, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſexto. Tapia quoque munitio erecta. Annis duodecim præfuit. Treveris ſepultus eſt.

Octavus Magiſter, Hartmanus, Comes Heldringenſis, conſtituitur, ſub Rodolpho XXVII Imperatore, Habſburgenſi Comite, & Clemente IV Pontifice, anno Domini 1275. Vir pius & induſtrius

exti-

extitit. Nadraviam Sudaviamque regiones Pruſſiæ debellavit, cum cæteriſque finitimis longas acies tenuit. Eo præſidente, anno 1279, Menia civitas ædificata eſt. Anno Domini 1281 Marienburgenſe caſtrum erectum eſt. Venetiis ultimum diem clauſit, ibidemque ſepultus eſt.

Nonus Magiſter, Burchardus à Svvenden, ſub Rodolpho Cęſare XXVII, & Pontifice Ioanne XXI, electus eſt anno 1283. Eo præſidente, fratres ordinis, cum Pruſſis infidelibus bellum acre larga ſanguinis effuſione geſſerunt, eoſque in integrum ad obedientiam compulerunt. Poſtea, ſeptem annis in officio expletis, magiſtratu ſe abdicavit. Mortuus eſt Rodiis, ibidemque ad Baſilicam S. Ioannis ſepultus.

Decimus Magiſter, Conradus de Feuchtvangen, munus magiſterii ſuſcepit, ſub Adolpho XXVIII Imperatore, & Nicolao IV Pontifice, anno 1290. Eo præſidente ordo multum profecit. Septem annis fratres in officio continuit. Pragæ Bohemiæ metropoli, ſpiritum exhalavit, Trebniciæque ſepultus eſt.

Vndecimus Magiſter, Gotfridus, Comes de Oloch, electus eſt, ſub Cæſare Adolpho XXVIII Germanorum Imperatore & Pontifice Cœleſtino V, anno Domini

mini 1267. Hic Venetia cum multis fratribus in Pruſſiam profectus eſt. Decem annis officium geſſit. Poſtea Comitiis celebratis, magiſterium reſignavit, in Germaniamque profectus, è vivis exceſſit.

Duodecimus Magiſter, Sofridus de Feuchtvangen, anno 1307 creatus eſt, Alberti Imperatoris Auſtriæ Ducis & Clementis Pontificis temporibus. Hic ſedem Venetiis, Pruſſiæ caſtrum Mariemburgam tranſtulit: nam in terra ſancta, Venetiis, Neapoli, & in Anglia ſedes ſuas & præclara ædificia propter quaſdam ſimultates amiſerat. Duobus annis officio præfuit. Mariemburgæ mortuus eſt.

Decimus tertius Magiſter Carolus Treverenſis, ſuſceptus eſt, ſub Henrico VII Imperatore, & Clemente V Pontifice, anno 1309. Erat inſignis vir, prudens & induſtrius. Anno Domini 1312, eo præſidente, Memula arx in Curlandia regione Pruſſiæ fundata eſt, ad propulſandos Lituanorum incurſus. Tandem prædictus Magiſter à Pontifice Romam citatus, adeo crimen objectum auxilio Dei diluit, ut in adverſariorum caput redundaret. Romaque diſcedens, in itinere, Viennæ morbo oppreſſus expiravit, ibique tumulatus eſt. Hujus tempore peſtis per integrum annum tantopere graſ-

ſata eſt, ut omnia frumenta penuria hominum in agris manerent.

Decimus quartus Magiſter, Vernerus Vrſelenſis, temporibus Cæſaris Ludovici 33 & Ioannis Pontificis 22 ſuſcepit officium ſuum, anno 1322. Ordini cum ſumma laude præfuit. Cito poſt interemptus eſt à fratre ordinis IoanneBunſdorſſo, in vigilia ſanctæ Eliſabeth, cum ex veſpertinis precibus egrederetur.

Decimus quintus Magiſter, Ludolphus Dux Tuliſurgenſis, ſive Bruſvicienſis, ſub Ludovico XXXIII Cæſare & Ioanne Pontifice XXII Magiſterii celſitudinem ſuſcepit, anno 1325. Vir pius & ſapiens extitit. Fratres ad cultum divinum ſummopere compulit, largeque illis omnia adminiſtravit, ideo eos liberalitate obedientes ſibi effecit. Iuſtitiam magnopere adminiſtravit.

Decimus ſextus Magiſter, Dictrichus, Comes Aldemburgenſis, octogenarius jam electus eſt, temporibus Ludovici XXXIII Imperatoris, & Ioannis XXII Pontificis, anno Domini 1329. Eloquentia validus, autoritate gravis, juſtitiaque rigidus extitit. Gentilibus terrori fuit. Templum beatæ Mariæ virginis Mariemburgæ extruxit. Toruniæ obiit. tranſlatus Mariemburgam, in templo S. Annæ ſepultus eſt.

De-

Decimus ſeptimus Magiſter, Rodolphus Dux Saxoniæ, Ludovici XXXIII Imperatoris ac Benedicti undecimi Pontificis tempore, in officium ſuſceptus eſt, anno Domini 1339. Hic anno Domini 1341 magnas copias conſcripſit, Neumarcoviamque oppugnavit. Interim vero Lituani Pruſſiam invaſerunt, eamque fere totam igne & cædibus conſumpſerunt, multos captivos abducentes. quæ cauſa illi tantum mærorem attuliſſe creditur, ut mente captus, ab officioque depoſitus, præ mærore vitam terminarit. In Marienverderque civitate ſepultus eſt.

Octodecimus Magiſter, Henricus Duſmarienſis, Clementis VI Pontificis tempore officii dignitatem conſecutus eſt. Sex annos in regendo ordine conſumpſit. Cum Lituanis & Rutenis bellum egregium, in die purificationis beatæ Mariæ, geſſit, auxilioque divino decem millia inimicorum proſtravit. E vivis poſtea deceſſit, Mariemburgæque humatus eſt. Hic virginum cœnobium, Lebenich dictum, Regiomonti erexit.

Decimus nonus Magiſter, Henricus Kimpradienſis, Carolo Cæſare XXXII & Clemente VI imperantibus, ad dignitatem Magiſterii acceſſit, anno 1348. Eo præſidente Ordo doctis viris abun-

davit. Fratres in timore & amore Dei inſtruxit, annis 31 officio præfuit, Mariemburgæ vitam terminavit, ibidemque ſepultus eſt.

Vigeſimus Magiſter, Conradus Zolner, temporibus Venceſlai XXXIII Imperatoris Romani, & Vrbani ſexti Pontificis, ad officium vocatus eſt, anno Domini 1379. Multa egregia bella & facinora, contra Gentiles Lituanos & Samogitas, temporibus Keyſtudi, Iagielonis, Vitoldi, & Suidrigelonis, Ducum Lituaniæ, geſſit. Ordinem in poteſtate octo annis tenuit. Mariemburgæ naturæ debitum perſolvit.

Vigeſimus primus, Conradus Valenrodenſis, Venceſlai XXXIII Imperatoris, & Bonifacii Pontificis tempore, munus Magiſterii oblatum ſuſcepit, anno 1388. Vehemens & iracundus extitit, totis viribus bello incumbebat. Monachos, Sacerdotes, & omnes eccleſiaſticos, furore percitus odio perſequebatur, nullumque in hora mortis ad ſe venire paſſus eſt. Anno 1321 fratres ordinis, armata manu, per fluvium Crononem, Lituanis Nemen dictum, ad arcem Cavvnenſem in Lituaniam navibus terraque perveneruut, ibique tres munitiones celerrime erexerunt, Neuverder, & Riteverder, & Metemburg appellatas. ex his Crucigeri

cigeri Lituanis magna damna inferebant, regionem igne & ferro vaſtando, incolaſque occidendo.

Vigeſimus ſecundus Magiſter, Conradus Iungingen, ad munus obeundum vocatus eſt, Venceſlao XXXIII Imperatore & Bonifacio Pontifice præſidentibus. Hic propter morum probitatem magnam laudem apud omnes obtinuit, paciſque obſervantiſſimus erat. Ideo ab Ordinis fratribus eum multa pati oportebat. Annis duodecim officio præfuit. Poſtea ex carceribus corporis liberatus, Marienburgæ Divæ Annæ templo humatus eſt.

Vigeſimus tertius Magiſter, Vlricus de Iungingen, Conradi frater, Rupperto XXXIV Cæſare & Gregorio XII Pontifice munia obeuntibus, officium ſuſcepit, anno 1404. Strenuus & bellicoſus vir extitit. Regulas Ordinis non admodum obſervavit. Conſanguineos odio proſequebatur, illorumque arces partim eripuit, partim deſtruxit. Cum Lituanis & Polonis plurima bella geſſit. Hunc poſtea Iagielo Rex Poloniæ, & Lituaniæ magnus Dux Vitoldus, cruento prælio profligavit: ubi & ipſe, cum plurimis Commendatoribus, quorum ducenti recenſentur, cecidit. Dux quoque Stetinenſis, & Oleſnicenſis, Kerczdorffque Dux ex-

ercitus Crucigerorum, à Polonis capti. Quinque milliaCrucigerorum à Polonis cæſa ſunt, Lituanorum tamen in caſtris Polonorum militantium ſeptem millia trucidata fugataque in primo conflictu.

Vigeſimus quartus Magiſter, Henricus Comes Plavenſis, ſub Sigiſmundo xxxv Imperatore & Ioanne xxiii pontifice electus eſt. Hic volebat ulciſci injuriam quæ à Polonis Crucigeris illata erat: ſed antequam quicquam inciperet, ab officio dejectus eſt, & Engelſburgæ in carceres conjectus, deinde ad Lekſteg miſſus. ubi ſeptimo anno in vinculis peracto fatis conceſſit. SepultusMarieburgæ.

Vigeſimus quintus, Michael Sterbergenſis, Imperatoriæ culinæ Magiſter, Sigiſmundo xxxv ſceptrum tenente & Ioanne xxiii Romano pontifice, ordini præpoſitus eſt, anno Domini 1410. Primo anno, cum ſuſcepiſſet officium, Iagielo Rex Poloniæ, & Vitoldus Dux Lituaniæ, Oſterrodam, Helſburgenſemque Epiſcopatum, Reſenburgam, Elbingam, & Chriſtburgum civitates depopulati ſunt. Argentoratum obſederunt, re tamen infecta diſceſſerunt. Novem annis Ordinis curam geſſit. Poſtea, ut deponeretur, precibus obtinuit. Gedani vitam finivit. Marienburgæ vero ſepultus eſt.

Vigeſimus ſextus, Paulus Rudolfienſis, Sigiſmundi XXXV Imperatoris & Martini pontificis tempore, Magiſterii celſitudinem conſecutus eſt, anno Domini 1419. Hujus tempore provinciæ & civitates Pruſſiæ ad Regem Poloniæ Caſimirum defecerunt, & jugum Crucigerorum excuſſerunt. Officium novem annis hic magiſter retinuit, mortuus tandem, Marienburgæque ſepultus.

Vigeſimus ſeptimus, Conradus Erlihuſius, Alberti XXXIX Romani Imperatoris tempore, officium ſuſcepit, anno 1438. Hic à bello, quoad vixit, abſtinuit, nimio dolore ob fratrum perverſitatem conſumptus. Mariemburgæ mortuus, ibidemque ſepultus.

Vigeſimus octavus, Ludovicus Herlihuſius, ſub Cæſare Friderico hujus nominis III, fratres regere cœpit, anno 1450. Hujus tempore Pruſſia ab Ordine deſcivit, ad Regemque Poloniæ Caſimirum major pars eorum defecit. Milites quoque Ordinis præſidiarii Marienburgam Regi anno Domini 1457 pro ſumma 476000 florenorum vendiderunt, cum aliis caſtris & civitatibus. Poſtea Rex Poloniæ, capta arce Choiinicze, pacem cum Crucigeris iniit. Atque ab hoc tempore Pomerania Regno Poloniæ adjuncta eſt, pro qua Poloni

150 annis perpetuo cum Crucigeris belligerabant.

Vigeſimus nonus, Henricus Rheus, Comes Plavenſis, dignitatem Magiſterii aſſecutus eſt, ſub Friderico hujus nominis III Imperatore, anno Domini 1467. Vndecim hebdomadis officio præfuit. Regiomonti in Cathedrali Eccleſia terræ mandatus eſt.

Trigeſimus Magiſter, Henricus Comes Rihterbergenſis, anno 1470 officium ſuſcepit, præſidentibus Friderico III Imperatore, & Sixto Pontifice hujus nominis quarto. Fuit vir rigidus furibunduſque. Theodorum Epiſcopum Pruſſiæ captum, in vinculis fame peremit. Ordini annis ſeptem præfuit. Regiomonti ſepultus eſt. Hujus tempore bellum ſacerdotum in Germania fuit.

Trigeſimus primus, Martinus Truchſes VVeczhauſenſis, ſub Friderico III Imperatore, & Sixto IV Pontifice, ordini præfectus eſt. Duodecim annis præfuit. Caſimiro, regi Poloniæ, obedientiam præſtitit. Regiomonti mortuus, ibidemque ſepultus eſt.

Trigeſimus ſecundus Magiſter, Ioannes de Tiefen ex Helvetia, celebri familia oriundus, Maximiliano ſceptrum tenente, & Iulio Pontifice præſidente, Ordinem in tutelam ſuſcepit, anno 1489.

Eodem

Eodem anno Polonia Regi juramentum præſtitit. Poſtea eidem regi Ioanni Alberto auxilium contra Valachos ferens, cum exercitu profligatus, ipſeque peremptus eſt. Regiomontum delatus, ibidem terræ mandatur.

Trigeſimus tertius, Fridericus Dux Saxoniæ, Turingorum & Hermandurorum Marchio, Maximiliani Imperatoris & Iulii Pontificis temporibus, anno Domini 1468, in feſto divi Michaelis, Regiomonti Magiſtratum ſuſcepit. Nunquam Regi Poloniæ juramento ſe obſtringere voluit. qua de cauſa à Polonis ſæpius infeſtatus, in patriam ſuam Hermanduriam profectus. ubi, duodecim annis extra Ordinis fines exactis, mortuus eſt. Hujus tempore Ioannes Albertus Rex Poloniæ e vivis deceſſit, cui in regno Alexander frater germanus ſucceſſit.

Trigeſimus quartus, Albertus Marchio Brandenburgenſis, Caſimiri regis Poloniæ nepos, Maximiliani Cæſaris & Iulii Pontificis temporibus, Ordini ſolenniter cum ingenti pompa Regiomonti præfectus eſt, anno Domini 1512. Sigiſmundo Regi Poloniæ avunculo ſuo juramentum præſtare noluit, ſed arces neceſſariis omnibus munivit, ut ſe contra Polonorum incurſum defenderet.

Magnum & diuturnum bellum cum Rege Poloniæ habuit,in quo ex utraque parte multi ceciderunt, eam ob cauſam, quod juramento ſe obſtringere Regi noluiſſet.

Geſta hujus Magiſtri tempore præcipua.

ANno Domini 1519, in autumno,inter Sigiſmundum Regem Poloniæ , & Magiſtrum Pruſſiæ Albertum Marchionem , bellum ortum eſt. Anno 1520 Albertus Marchio , die feſto Circumciſionis Chriſti , Branſbergam inopinate occupavit. Eodem anno,Mielzak, Milimliin,Regi traditæ ſunt , cum aliis plurimis civitatibus caſtriſque. Quadrageſimali tempore, menſe Aprili, copiæ Regis Oland,civitatem & arcem ſub Magiſtro cœperunt. Eodem anno Brandemburga arx & civitas à Polonis capta & depopulata eſt.

Anno Domini 1520 , Volfangus Dux Schonemburgenſis, cum exercitu Ordinis decem millium peditum & quatuor millium equitum , Gedanum oppugnavit, ex epiſcopique monte (ut vulgo vocant) civitati imminenti , quater mille globos tormentorum bellicorum, in civitatem fruſtra tamen exoneravit. nullum enim hominem læſit , ſibi vero ingens damnum in tormentis & globulis intulit:

intulit: nam ex muro civitatis tormentum unum præſtantiſſimum, in mille fruſta concuſſum eſt, & ſi aliquis ex exercitu ſe oſtenderet, in hunc quatuor vel quinque tormenta ex turribus civitatis exonerabantur. tantaque miſeria & penuria omnium Crucigerorum milites afflicti erant, ut multis ſuorum deſideratis, quibuſdam captis, fuga ſibi ab obſidione conſulere cogerentur. Interea vero Poloniæ Rex, in ſubſidium Gedanenſibus 1200 equitum electorum miſit, qui milites Crucigerorum à Gedani obſidione diſcedentes, inſecuti ſunt, plurimoſque ex eis trucidaverunt, quoſdam captivos abduxerunt, multi etiam à Caſſubiis & Pomeranis jugulati ſunt. Poſtea Regius exercitus Dirſchoviam & Stargerdum arces occupavit. Choiinicz quoque arx cum civitate capta eſt. poſtea cęteræ civitates & arces ultro ſe Regi Polonię obtulerunt, & milites Ordinis una cum Crucigeris ex Pruſſia ſunt ejecti.

Anno Domini 1525, die octava Aprilis, Pruſſia, quam primum religioſi Crucigeri videlicet tenuerunt, in mundanam politiam & principatum ſæcularem ceſſit. Albertus enim Marchio Brandenburgenſis, in ordine trigeſimus quartus & ultimus Magiſter Crucigerorum, belli cum Rege Poloniæ pertæſus,

tæſus, difficileque contra ſtimulum calcitrare videns, Regem ſibi per internuntios fratres & affines ſuos reconciliavit, Cracoviamque veniens, juramentum ſolenniter Regi Poloniæ Sigiſmundo, in Majeſtate Regia ad id fabricata in medio foro Cracovienſi ſedenti, Regalibuſq; induto pręſtitit, cum multis Principibus. Ibiq; prædictum Albertum Marchionem Brandenburgenſem, poſt juramentum ſolenniter præſtitum, Sigiſmundus Rex principem ſecularem, equitemque, ut vocant, auratum creavit. Terraſque omnes Pruſſiæ certis ſub conditionibus, eidem, ut feudali, clientique, & ſubdito ſuo conceſſit, vexillumque illi ſuum ſub inſigniis Polonicis dedit. Atq; hic finit ordo ille, ut vocant, Tevvtonicorum Crucigerorum in Pruſſia. Anno Domini 1526, Alberto Pruſſiæ Duci, ſoror Regis Daniæ in matrimonium data eſt, ex qua ſuſcepit filium, Albertum Fridericum modernum ducem Pruſſiæ, qui etiam poſt mortem patris Regi Poloniæ juramentum homagiumque ſolenniter præſtitit. Nunc, quo ordine & quibus ceremoniis hoc juramentum præſtitum ſit, quoniam ipſe præſens rerum ſpectator fui, breviter dicam.

Anno Domini 1569, menſe Iulio, in Comitiis regni generalibus, Lublini celebratis,

bratis, Albertus Fridericus Marchio Brandenburgenſis, Alberti Ducis Pruſſiæ prædicti filius, patri in Principatu ſuccedens, juramentum Regi Poloniæ præſtitit, hoc modo. Decima nona die Iulii, ampliſſimum ſuggeſtum (ſive Majeſtas ut dicitur Regia) tectum ſericeis & ſtragulis tapetiſque pretioſis, in ſuburbio Lublinenſi ſumptuoſe erigitur, ubi Rex ſeſſurus eſſet. Concurſus fit ad forum immenſæ hominum multitudinis, opplentur viæ, omneſq; plateæ, quacunque inceſſus erat. ſatagit pro ſe quiſque vel ornatus ſplendido veſtitu, vel armis inſtructus apparere. Interim Majeſtas regia ex arce in thronum proficiſcitur, cingitur ingenti & ſplendida Senatorum Procerumque univerſi Regni corona, præcedentibus Principibus viris, ac omnis ordinis conſiliariis, & aulicis. Vexillumque pulcherrimum & ampliſſimum album, novo Duci de more cum inſigniis donandum, Eraſmus Debinski, Cancellarii regni filius, præferebat. Poſtea Rex in domum quandam ſuggeſto oppoſitam divertitur, ibique ornatu regali induitur, ſandaliis videlicet aureis, alba Dalmatica, & chlamyde, ſive Piviali ex panno aureo confecta, & Corona regia aurea, gemmis lapidibuſque pretioſis concinne affabreq; ornata; chirothecas

cas quoque annulis gemmiſque ornatas manibus impoſuit. Induta Majeſtas regia ornamentis regalibus, de modo illa in ſuggeſtum procedit media inter reverendiſſimos Dominum Iacobum Vchanski Archiepiſcopum Gneſnenſem primatem regni, ac Dominum Padnievvski Epiſcopum Cracovienſem, præcedentibus & ſubſequentibus contigue primariis Dominis, Conſiliariis, Spiritualibuſque. Gladium evaginatum ancipitem Dominus Andreas Zborovvski, Gladiator (ut dicitur) Regni, præferebat. Pomum aureum, cruce inſignitum, Petrus Zborovvski, palatinus Sendomirienſis, portabat, & ſceptrum Staniſlaus Myſſkovvski, palatinus Cracovienſis, anteferebat. Cum itaque ſacra regia Majeſtas in ſolio ſedit, quatuor Germani proceres Pruſſiæ, nomine Ducis ſui, ſupplices venerunt, & genibus flexis unus eorum orationem facundo lepore ad S. R. M. recitavit: Oratione finita, regia Majeſtas quatuor conſiliarios ſuos cum illis quatuor Germanis ad Ducem Pruſſiæ accerſendum miſit. Veniens itaque illuſtriſſimus princeps Albertus Fridericus, diſertiſſima facundia, orationem fecit ad S.R.M, ſingularem fidem, ſupplicitatem, & ſubjectionem teſtantem. Reſponſum eſt poſtea ipſi principi conſilia-

ſiliariiſque ejus Latinis verbis, nomine Regis, Sacram regiam majeſtatem tam ipſum principem quam omnes ſubditos & optimates ejus, omni favore & gratia complecti defendereque velle. His finitis acceſſit princeps ad ſolium, & pedes regios genu flexus cum ſumma reverentia accepit: accepitque de ſacra regia majeſtate manibus vexillum album inſignitum aquila nigra, cum literis S & A colligatis in pectore, cum inſtitutione ore Regio facta his verbis: Nos Sigiſmundus Auguſtus Rex, annuentes veſtris & veſtrorum ſubditorum precibus, tradimus & concedimus Illuſtritati tuæ, prout parenti tuo illuſtriſſimo tradideramus, in feudum, terras, civitates, oppida, & arces in Pruſſia: & ad eas Illuſtritatem tuam inveſtimus, per hujus vexilli traditionem: ac inſtituimus gratia & benignitate noſtra, qua tuam Illuſtritatem uti nepotem noſtrum cariſſimum complectimur. ſperamuſque, quod ejus beneficentiæ noſtræ, & memor & grata fideliſque Illuſtritas tua ſit futura. Deinde princeps Pruſſiæ caudam vexilli tenens, ſuper libro Evangeliorum in hæc verba juramentum præſtitit.

Ego Albertus Fridericus, Marchio Brandenburgenſis, in Pruſſia, Stetinenſis, Pomeraniæ, Slavorum, Caſſubiorum

Dux,

Dux, Princeps Rugię & Burggrabius Norimbergenſis, promitto & juro, quod Sereniſſimo Principi ac Domino, Domino Sigiſmundo Auguſto Regi Poloniæ Inviĉtiſſimo, Magno Duci Lituaniæ, Ruſſiæque ac omnium terrarum Pruſſiæ Domino & Hæredi, ſicut meo naturali hæreditarioque Domino, & ejus Sacræ Majeſtis hæredibus, & ſucceſſoribus regibus, & Regno Poloniæ, ero fidelis & obſequens, ejuſque Majeſtatis ac hæredum & totius regni Poloniæ bonum procurabo, & damnum præcavebo, ac omne id faciam, quod ad fidelem vaſſallum feudalemque pertinet. ita me Deus adjuvet, & hoc ſanctum Dei Evangelium. Accepto hujuſmodi juramento Majeſtas Regia gladium ancipitem, à Gladiatore Regni, Domino Andrea Zborovvski accepit, novumque Ducem ter præcinxit, inclinatum de more, dicens: Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime. Poſtea ei torquem auream, Regio munere non indignam impoſuit. Mox omnis Ordinis Nobiles qui ad Equeſtre munus contendebant (in quorum ego numero, eodem more præcinctus fui) præcincti ſunt. Quibus omnibus ex ordine ſolenniter peractis, ac depoſitis Regalibus indumentis, cum toto illo comitatu Duceque Pruſſiæ cum
ſuis

ſuis præcedente in arcem rediit.

Deſcriptionis Pruſsiæ continuatio.

Hæc autem Pruſſiæ regio, pleriſque ſinuoſis flexibus eſt ubique amœna, & oportunis portibus maris Baltici maxime commoda. urbium illuſtrium, oppidorum, arciumque frequentia & opimis incolarum divitiis, opibuſque ac terræ ubertate, ſupra modum claret. Pecoris omnigeni inæſtimabili copia, piſcationibus, venationibuſque & ſylvis fructuoſiſſimis, aëriſque temperie, cum amœnitate conjuncta, prædita eſt. & poſtquam fidem Chriſtianam Pruſſia ſuſcepit, 72 arces præcipuas & 62 civitates principales habuit, à Crucigeris domus Teutonicæ erectas. quarum numerus nunc, temporis ſucceſſu, plurimum crevit. multæ enim & frequentes civitates ac oppida, munitioneſque, tam à Polonis quam Crucigeris vario Marte utrinque decertantibus extructæ ſunt. Longitudo ejus ex Aquilone in Auſtrum, à Torunia urbe confini Maſoviæ uſque ad Memulam caſtrum cum oppido, quinquaginta octo miliaribus extenditur. In latitudinem vero quinquaginta miliaribus, Lituanos, & Maſovitas contingens, patet.

Flumina præcipua & principalia in

Pruſſia duodecim reperiuntur. Iſtula ſive Viſtula, quæ Sileſiam, Poloniam, Maſoviam & Pruſſiam præterlabitur. ſimiliter Cronon ſive Nemen ex Lituania decurrrens, Nogat, Elbinga, VVeſera, Paſſaria, Alla, Prægel, Oſſa, Drebnicz, Lica, Lavia. Extant quoque alia plura flumina omni genere piſcium abundantia, minus tamen hominibus, præcipue externis, cognita. Lacubus plurimis, aliquando ſeptem miliaribus Polonicis patentibus, piſcibuſque omnis generis exundantibus, undiq; ſcatet. Gummi quoque genus lucidiſſimum, quod ſuccinum ſive gleſſum, vulgariter Burſtin vocatur, in litore maris Baltici copioſe colligitur. Cum autem Pruſſia, ut copioſe ſuperius deſcripſimus, barbarorum colonia antiquitus fuerit; Polonorum ac Teutonicorum armis ſubactam, ſacriſque initiatam ſe agnoſcit, qui in eam colonias ſuas, barbaris penitus fere extirpatis, deduxerunt. nuncque tam Polonis, quam Germanis equitibus, pariter civibus agricoliſque, frequens eſt. Barbarorum tamen reliquiæ ad Curlandicum lacum hucuſq; ſuperſunt, qui cum Livonibus & Lituanis vicinis, idiomate, moribus, habituque, concordant. Porro nulla in univerſo Poloniæ Regis dominio regio reperitur, quæ tam frequen-

quentibus civitatibus, arcibus & oppidis, ut Pruſſia, abundet.

Hæc autem Pruſſiæ regio ampliſſima, omniumque fructuum, tam ex terra quam aqua naſcentium, abundantiſſima, duplex eſt, Ducalis & Regalis. nam Dux, gratia Regis Poloniæ, in ſuis civitatibus & arcibus integre rerum potitur, ut vaſſallus & feudalis ac beneficiarius regni. Regiomontique, quæ eſt civitas maritima, ſedem ſuam habet. in qua collegium communis ſtudii ab Alberto præfato, primo ex Magiſtro duce creato, fundatum. Eſt autem Regius mons urbs emporio clara: ad eam enim merces ex ſeptentrionis regionibus copioſe apportantur. In hanc ſedem ſuam magiſtri tranſtulerunt Marienburga nobiliſſima, eaq; munitiſſima arce, ac totius Pruſſiæ propugnaculo. quæ cum ſe expugnari non pateretur, Caſimiro Regi Poloniæ, ut diximus, pro certa ſtipendiorum militibus Ordinis perſolutione, dedita eſt. In ea aſſidue milites præſidiarii à rege Poloniæ aſſervantur, victu & omnibus ad bellum neceſſariis tam apprime proviſa, ut ſex annorum obſidionem ſuſtinere poſſit. Eſt enim Regalis Pruſſiæ (id eſt, illarum arcium & civitatum, quas Rex electas extra Ducem, armis majorum ſuorum acquiſitas poſſi-

det,)caput & Metropolis. A Gedano ſeptem miliaribus diſtat. Plurimas nobiles civitates & arces quas ſuperius enumeravimus, Pruſſia complectitur.

Epiſcopatus vero quatuor Catholicos, poſtquam fidem Chriſtianam ſuſcepit, Pruſſia habebat: VVarmienſem, Culmenſem, Sambienſem & Pomeſanienſem. nunc Sambienſis VVarmienſi, Pomeſanienſis autem Culmenſi adjuncti. VVarmienſem Epiſcopatum, qui eſt præcipuus, Reverendiſſimus Dominus Staniſlaus Hoſius Polonus, Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis digniſſimus, ſingulari pietate, & vitæ ſanctitate, ac doctrina cæleſti & ſcriptis divinis coruſcans adminiſtrat; qui Malleus Hæreticorum indefeſſus, & Catholicæ Eccleſiæ propugnator ſtrenuus jure cenſendus eſt. Culmenſem Epiſcopatum, Reverendiſſimus Dominus N. Coſtca, virtutum & doctrinæ ſpeculum inſigne. Nunc de Pomerania Regione ampliſſima dicendum nobis occurrit. quæ etiam Polonorum armis antiquitus perdomita, imperio paret. nam Boleſlaus Rex belliciſſimus, Anno Domini 1003 Ruſſiæ Principibus debellatis, ſtrenuoque Marte contuſis, perpetuũ victoriæ monumentum, Herculeum imitatus opus, tres ferreas columnas in Boriſtene fluvio collocavit.

locavit. Deinde, anno Domini 1008, Saxonibus bellum intulit, & omnem illorum regionem, circa Oderam, ad Albim & Salam fluvios, Cherſoneſumque Cimbricam, quæ hodie Dania appellatur, ſumma belli dexteritate ditioni ſuæ ſubjugavit. Vrbes earum regionum maximas, partim ſolo æquavit, partim ſuis Polonis munivit, gentemque univerſam Pomeranorum barbaram & incultam, ad fidem Chriſtianam ſuſcipiendam armis coëgit, & ut ſempiterna memoria victoriæ feliciſſimæ apud poſteros extaret, in Albi, & Sala, Oſſaque fluviis, columnas æreas inclytus triumphator locavit. Totam Pruſſiam ac Pomeraniam Chriſtianis infeſtiſſimas, perdomuit.

Ducatus Pomeraniæ.

POmerania regio ampliſſima, ab Holſatia ad Livoniam uſque, longo tractu juxta mare Germanicum extenditur, unde & nomen habet. Pomorze enim Slavis mari adjacentem regionem ſignificat. In hac Regione natio Slavonica antiquitus conſederat; ſed nunc Germani magna ex parte eam incolunt. Has præcipuas civitates à mari procul ſitas complectitur; Stetiniam, unde Ducatus Stetinenſis dicitur, Neugardiam, Lemburgam,

burgam, Stargardiam,Bergradum, Camenetiam,Publinam,Grifemborgam,&c alias complures. Quæ vero mari impendunt,Colberg,Camin, Coſlin, Gribſvvald,Sund, Puczka, Revecol, Louemburg,Hechel &c.Iulinum in hac regione urbs erat celeberrima.nunc ruinis deformis jacet. Pro hac regione Poloni cum Prutenis Gentilibus, & Crucigeris, longo tempore acriter decertabant. nunc titulo ejus Rex Poloniæ, qui in ea majori ex parte rerum potitur, Duxque Pruſſiæ, feudalis Regis Poloniæ, utuntur.

Gedanum, ſive Dantiſcum, hujus regionis metropolis, urbs ampliſſima & inſignis, à mari Germanico uno miliari abeſt. Eam celeberrimus fluvius Viſtula præterlabitur,ibidemque ampliſſimis oſtiis in mare exoneratur. In ea totius Pomeraniæ & Pruſſiæ celeberrimum emporium eſt. ex ultramarinis enim regionibus longinquis,Anglia, Britannia, Scotia,Gallia, Hiſpania, Svvetia, Dania, & Nordvvegia, naves ad eam appellunt. Ex Lituania quoque, Ruſſia,Volinia,Poloniaque, variæ merces fluviis navigabilibus in eam deferuntur; præcipue vero ſiliginis & frumenti ingens copia ex ſupra nominatis regionibus advehitur. Regi Poloniæ ſubjecta eſt, Caſtellanumque

que à Rege præfectum habet. Ex mari in urbem perducta eſt foſſa qua naves maximæ intra mœnia veniunt. Burggrabius cum proconſulibus, & conſulibus, regio nomine, civitatem adminiſtrant. Cives omnes fere Germani ſunt, mercatoreſque ditiſſimi, ita ut Gedanum ædidificiorum pulcherrima diſpoſitione, commerciorum varietate, maris Viſtulæque oportunitate, incolarum & externorum incredibili multitudine, civium divitiis, & inſtrumentorum bellicorum, ad hoſtes propulſandos, ac machinarum ænearum numero, cum præcipuis Europæ urbibus, meo jndicio conferenda ſit. Prætorium maximo ſumptu, eoque regio, exædificatum, cum ſuperba turri; ædeſque ſacræ, cum privatis, ingenti auri pondere, artificioſe erectæ; Geldaque publicum urbis palatium; ac horologium divinis fere manibus elaboratum, cujus campanæ mirabilem quendam & ſuaviſſimum concentum edunt, ſecundum artificis voluntatem, & temporis convenientiam, in admirationem omnium gentium advenas attrahentes. Propugnaculum munitiſſimum in ipſo maris portu extructum, frequentibus directis machinis ab armatis militibus cuſtoditur. Vexillum totius Pomeraniæ, aquilam nigram

in collo coronatam, gladium evaginatum manu humana tenentem, pro ſtemmate in campo aureo geſtat, ſimilem Pruſſiæ, quam in ejus principio expreſſimus.

Elbinga, civitas inſignis ad oſtia Albis fluvii, in littore maris magnificentiſſime & ſumptuoſe extructa, ſplendidis civium opibus & mercatorum divitum frequentia claram ſpectabilemq; ſe reddit. Ejus titulo Rex Poloniæ, ſcribens ſe Dominum terræ Elbingenſis, maxime in privilegiis utitur. Diſtrictum enim ampliſſimum circumjacentem habet. Atque hæc de Pruſſia breviter dicta ſufficiant.

LIVONIAE DESCRIPTIO.

Addita eſt quoque brevis narratio, quomodo hæc regio in jus invictiſſimi Regis Poloniæ Sigiſmundi Auguſti, Magni Ducis Lituaniæ, ceſſerit, & quo pacto à Moſchorum Principe & Svvetiæ Rege diminuta fuerit.

LIvonia ſive Lieflandia, Regio ampliſſima, ab Oriente, Ruſſiæ, Moſchorum principi ſubjectæ, contigua eſt; Nervaque fluvius navigabilis (in cujus utraque ripa, duæ arces ejuſdem nominis, una Livonienſium, altera Moſchorum, ſibi ex ad-

ex adverſo ſitæ ſunt)imperium Moſchoviticum à Livonienſi diſlimitabat. Sed modernus Moſchorum Monarcha, Ioannes Baſiliades; Derpt inſigni urbe Epiſcopali cum ſibi adjacente provincia occupata, ulterius fines ſuos (prout inferius dicitur) promovit. A ſeptentrione cum Svvetiæ Regno & Phinlandiæ Ducatu fines ſuos ſinu maris Baltici diſterminat. Ab occidente mari Balthęo (quod Germanicum & Prutenicum appellatur) contermina eſt. A meridie Samogitiæ & Lituaniæ, nonnihilque in Occidentem vergens, Pruſſiæ adhæret. Nonaginta miliaribus Germanicis in longitudinem, & quinquaginta in latitudinem, cum ſinu maris Baltici adjacenti extenditur. Sed nunc bellis ſævientibus, pluribus in locis vaſtata & diminuta eſt. Continet autem in ſe plurima territoria, quæ pro Ducatibus computari poſſunt. Horum ſingula cum ſuis civitatibus & caſtris ſuccinctè deſcribere curabo. Sed primo quomodo & quando Regionis incolæ nomina Chriſto dederint, paucis aperiam.

Totum pene orbem terrarum, poſt maximum illud univerſæ terræ diluvium, fallacium dæmonum fraude ſeductum, veram unius Dei religionem, impio multorum & falſorum Deorum cul-

tu, vanaque ſuperſtitione, commutaſſe conſtat. Quidam enim mortuos homines, propter merita beneficia & egregia geſta, cultu divino venerabantur. Alii malignos Dæmones, ementitis miraculis & prodigiis hominum oculis ſeſe inſinuantes, adorabant. Denique belluis atque ſerpentibus, & ſculptis pictiſque arte humana ſimulachris, gloriam veri Dei exhibebant. Donec Ieſu Chriſti, veri Dei hominiſque benignitas, & Evangelii ejus claritas, poſt multa ſæcula, quaſi lux clariſſima, mundo cœlitus affulgens, has terras terribileſque tenebras diſcuſſit. Sed regiones Septentrionales, & omnes gentes ad Aquilonem vergentes, Chriſtianæ religionis ignaræ, vano idolorum cultui, diutius ſubjugatæ fuerunt. difficilis enim ad eos externis gentibus aditus erat, propter efferam barbariem, & crudelitatem populi. Romani etiam & Græci, qui primo fidem Chriſtianam amplexi ſunt, ſeptentrionalium plagarum minus exactam notitiam habebant: unde factum eſt, ut Livonia cum cæteris, ad aquilonem vergentibus regionibus, noviſſime omnium, Sacro Baptiſmi fonte lavata fuerit. Demum, Friderici primi ex Ducibus Germaniæ, Romanorum imperatoris temporibus, mercatores

res rem familiarem ex Germania, per mare Balticum in Livoniam appulerunt, & gentis barbaræ ſimpliciſſimæque animos ob mutua mercimonia commutanda pellexerunt. Erat autem hic populus miræ ſimplicitatis, opumque parandarum & rei familiaris juſto negligentior. melle enim expreſſo (quo maxime regio abundat) cæram, velut alias quiſquilias & purgamenta, domibus everrebant. Poſtea ſuccedente quæſtu, & mercatoribus Occidentalibus eo loci confluentibus, Sacerdotes paulatim ſe illis immiſcere, adjungereque, piæ peregrinationis cauſa, cœperunt, ut, mercatoribus videlicet theſauros Livonum acquirentibus, ipſi animas gentis Chriſto, per verbum Evangelii ſalutiferum, lucrifacerent. Erat igitur ea tempeſtate vir quidam, Meinardus nomine, in Lubeca, civitate celeberrima, pietate & ſanctimonia vitæ inſignis. hic una cum mercatoribus conſcenſa navi in Livoniam, anno partæ per Chriſtum ſalutis milleſimo ducenteſimo, trajicit; & conſpiciens, in tam inſigni & prematura meſſe nullos operarios extare, continuo ibi unius famuli convictu contẽtus, ętatem tranſigere conſtituit, caſamq; ſibi ex arbuſtis propter imbres arcendos conſtruxit. Paulatim deinde hominum familiaritatem

ritatem captare, & tædio ſuperato, adhibita jam mutui convictus & contractæ notitiæ cum incolis Regionis opportunitate, Religionis & rerum Divinarum eos admonere cœpit, ſenſimque à vano Idolorum cultu, ad Chriſtianæ fidei obſervantiam adducere, auſpicanteque Deo, & pium viri religioſi conatum ſecundante, complures incolarum in agnitam veritatis doctrinam conceſſerunt, quorum creſcente numero, multorumque animis (ut fit) rei novæ & inuſitatæ religionis ſtudio flagrantibus, Baſilica inſtauratur. Nec multo poſt, Meinardus à Bremenſi Archiepiſcopo, in Livoniæ Epiſcopum conſecratur. qui in meſſe Chriſti ſtrenui operarii munus adimplens, rem Chriſtianam multum adauxit, & magnam gentis partem ad Chriſtum convertit. Poſtea vitam cum morte feliciter commutavit. Huic ex vita decedenti Bertoldus Ciſtercienſium abbas ſucceſſit, qui contra irruentes hoſtes fidei Chriſtianæ, una cum peregrinis militibus, qui pietatis ergo ad militiam Chriſto exercendam, ex Germania confluxerant, pugnare inſtituit. Vbi vero ad pugnam ventum eſt, equo infreni in mediam barbarorum aciem projectus confoditur. Tandem creſcente multorum pietate, plurimi ſa-

cræ ſe militiæ devoverunt, Ordiniſque fratrum Tevvtonicorum habitu ſuſcepto, Enſiferos fratres ſeſe nuncupaverunt. Sed cum rebus gerendis ſupereſſe non poſſent, hoſtiumque barbarorum vis undiquaque invaleſceret, Tevvtonicorum fratrum Ordini, in Pruſſia ſe conjunxerunt. Cum enim audiviſſent, quod Ordo Tevvtonicus Cruciferorum, in tota Germania proficeret, Volquinus Præpoſitus eorum, à quinto in ordine MagiſtroPruſſiæ Conrado, olim Comite Turingenſi, in ordinem Tevvtonicum ſuſceptus eſt, anno Domini 1234. Suffragiiſque ejuſdem Magiſtri PruſſiæConradi, Gregorius ſummus Pontifex Romanus hujus nominis nonus, juſſit ubique, & præcipue apud infideles Prutenos Livonoſque, proclamari, quod Ordo fratrum à gladio inLivonia (qui nondum confirmatus erat) Teutonico ordini in Pruſſia unitus, incorporatus aſcituſque eſſet. Suſceperunt itaque fratres à gladio Livonienſes, crucem, habitumque, more fratrum Tevvtonicorum in Pruſſia. Et ſemper ab hoc temporeMagiſtri Pruſſiæ, à Livonienſibus Magiſtris tributa certa & obedientiam exigebant, uſque ad tempora Alberti Marchionis Brandenburgenſis, Magiſtri Pruſſiæ, qui anno Domini ſupra milleſimum quingenteſi-

teſimum decimo tertio, pecuniam, quam obedientiam, accipere maluit. Itaque Livonienſes, data præſcripta ingenti ſumma pecuniæ, in poſterum ab obedientia Prutenicis Magiſtris exhibenda liberati ſunt. Hanc tamen libertatem paulo poſt per inſolentiam ſuam amiſerunt: Rex enim Polonorum Sigiſmundus Auguſtus eos in poteſtatem ſuam, prout inferius dicetur, redegit. Sed ad rem accedo. Livonienſes Cruciferi, habitu fratrum Tevvtonicorum in Pruſſia aſſumpto, graviſſimis bellorum laboribus cum barbaris fortiter exantlatis, hactenus rerum in Livonia potiti ſunt, Magiſtrumque ſibi elegerunt, qui cum Commendatoribus, ſeu etiam præfectis, totam Regionem gubernabat. Erant præter hunc in Livonia Epiſcopi quinque: utpote Archiepiſcopus Rigenſis, Derptenſis, Habſelenſis, Oſeliæ, Curlandiæ, Revaliæque Epiſcopi. Hi ſua munia ſtrenue & magnifice ut Principes obibant. Sed anno Domini MDLVIII, Moſchorum Dux, Derpta ſive Torpato, inſigni urbe Epiſcopali, potitus, Epiſcopatum Derptenſem penitus abolevit. Rex quoque Poloniæ Archiepiſcopatum Rigenſem cum omnibus arcibus & civitatibus (rerum enim in Livonia

poti-

potitur) tenet. Revalienſem Epiſcopatum, Svvetiæ Rex, urbe Revalia capta, adminiſtrat. Oſelenſem Epiſcopatum & Abſelenſem frater regis Daniæ, Magnus nomine, una cum inſula Oſilia poſſidet.

Ordinis Tevvtonici Magiſter, una cum ſuis Commendatoribus, plurima oppida & arces munitas poſſidebat. & primo quidem ordinis Magiſter & Archiepiſcopus Rigenſis, ſimul & conjunctim Rigam urbem metropolim regionis occupabant; monetamque uterque propriam, qua adhuc incolæ regionis utuntur, cudebat. Verum Magiſter præter dominii & poſſeſſionis conſortium, arcem quoque ibi habebat. Hic jam ordine territoria, arces & civitates, tam Magiſtro ordinis, quam Epiſcopis & Commendatoribus ſubjectas, deſcribere pergam. Hæc vero ſunt territoria ſive provinciæ, in Livonienſi dominio, quæ pro ducatibus valent: utpote, Leitlandia, Vikeclandia, Curlandia, Semigalia, Eſtlandia, Virlandia, Haria, Gervendiaque.

Leitlandia ſive Rigenſis Provincia.

Leitlandia regio Livoniæ, præcipuas has arces & civitates, regi Poloniæ ſubjectas habet.

Riga urbs celeberrima, totius Livoniæ metropolis; muro fortiſſimo propugna-

pugnaculiſque & turribus denſis, tormentis bellicis apprime munitis, valloque inexcuſſo tribus ordinibus tormentorum, undiquaque munita; foſſis duabus, ex utraq; vallis parte, circumducta, & ſtipitibus acutis circumſepta; rebus bellicis, tormentis & commeatu copioſo militibuſque ſtipendiariis, pacis & belli tempore, bene proviſa. Arcem quoque bene munitam, & omnibus neceſſariis proviſam, ſibi adjunctam habet. in qua olim Magiſtri ſedem ſuam habebant. eam nunc Gothardus Kietler Dux Curlandiæ, regis Poloniæ feudalis, nomine regio adminiſtrat; in civitatem tamen ipſam jus nullum habet. Adminiſtratorem enim, ſive Capitaneum aliquem, cives ſibi dominari (libertatem aſſerentes) non patiuntur: ſed obedientiam & tributa regi Poloniæ, fideliter exhibent, ipſique civilibus legibus urbem adminiſtrant. Hanc urbem fluvius Dvvina ampliſſimus (ex Severa regione Ruſſiæ, Moſchovitæ Duci ſubjecta, ortus) una cum arce alluit, & duobus à Riga in mare ampliſſimis oſtiis exoneratur. Per hunc naves ex mari, de ultramarinis regionibus, utpote Svvetia, Dania, Holſatia, & cæteris repoſtis provinciis, appellunt: Ex Ruſſia quoque & Lituania cineres, aſſeres, ligna cæſa, &

levi-

levigata omnis generis ad naves fabricandas, frumentum quoque grandi copia, & cætera, importantur. Magnumque hac in urbe & celeberrimum eſt emporium. quamvis enim duobus miliaribus à mari diſtat, naves tamen omnigenæ facillime de mari ſub ipſa mœnia urbis veniunt & redeunt.

Hæ vero arces, civitates & præfecturæ, Capitaneatuſque, in hac Leitlandiæ ſive Rigenſi provincia, continentur. Videlicet

Dunamunt, arx inexpugnabilis natura oportunitateque loci. Mari adjacet, in oſtiis Dvveni fluvii, duobus à Riga miliaribus ſita, præſidiiſque Polonicis munita. In ea omnes naves ex ultramarinis regionibus ad Rigam venientes, merces indicare, teloniaque perſolvere, coguntur.

Blokaus, munitio inter Rigam & Dunamunt, ad Dvvinam condita. In ea quoque omnes naves excutiuntur. Hæ autem duæ arces Rigenſibus maxime inviſæ ſunt.

Kircholm, arx murata ad Dvvinam fluvium, duobus miliaribus à Riga ſita, in orientem procedendo.

Hæ quoq; arces Dvvinæ impendunt.

Vxul, arx deſolata, curia tamen in ea, ubi Præfectus manet; extructa. A Kir-

cholm duobus miliaribus abeſt. Crudelem illic quondam conflictum, & hominum ſtragem inſignem, cumulus oſſium ingens congeſtus teſtatur.

Lenvard, arx ab Vxul quatuor miliaribus ad Dvvinam ſita.

Aſcherad, olim Palatinatus : arx ad Dvvinam munita. Moſchovitęque ab ea aliquoties repulſi ſunt. Quatuor miliaribus à Lenvarda abeſt.

Nitavv, Seſuegen, Georgenburk, Levvborg, Roſſiten, Lucen, Luden, Nevenhul, arces muratæ abſque civitatibus.

Dunemborg, arx ad Dvvinam munitiſſime ſita. Commendator ſive Palatinus ei olim Magiſtri nomine pręſidebat.

Segevolt, arx & civitas, olim ordinis. Marſchalci primi à Magiſtro propria erat, cum cæteris ad eam pertinentibus, videlicet Levvburg, Nitavv, Georgenburg, & Choen caſtris.

Aries, arx ; VVolmer civitas & caſtrum; Hermes arx. quatuor miliaribus à Pernavva & Phelin.

Has ſupradictas omnes arces, & civitates, cum ſuis Palatinatibus, & Pręfecturis, invictiſſimus rex Poloniæ poſſidet, excepto Mariemburga caſtro, quod Moſchoviæ Princeps occupavit. Adzel autem & Rodempeus, à Moſchovitis exuſtæ & deſolatæ ſunt.

Archiepiſcopatus Rigenſis.

IN eodem territorio Rigenſi, Rex quoque Poloniæ omnes arces, civitates, Capitaneatus, & Præfecturas, Archiepiſcopales poſſidet.

Kokenhaus, arx, & civitas, natura & oportunitate loci munitiſſima, ad Dvvinam fluvium ſita, cæterarum Archiepiſcopi arcium principalis.

Vxul, Lenuard, ſupranominatæ arces: Krevvburg, Landon, Seſuegen, Schamborg, Serben, Conemburg, arx cum civitate, Salis, Vanſel, Dalen, Iencel, Treyden.

Smilten, arx à Moſchovitis deſolata; Cremon, caſtrum olim Capituli Metropolitanæ Eccleſiæ Rigenſis.

Sancel, arx apprime munitiſſima, mari adhærens, ad Archidiaconatum Rigenſem quondam pertinebat. Hæ itaque omnes arces, & civitates, enumeratæ, Regi Poloniæ ſubſunt.

Arces nobilium in prædicto Archiepiſcopatu hæ ſunt: Nochroſen, Roſemberg, Mayan, Pierkiel, Roppe, Nabbe, Elner, & Berſen. Earum domini, Polono Regi obtemperant.

Epiſcopatus Derptenſis.

DErpt, ſive Torpatum, ſive Derbet, inſignis urbs Epiſcopalis, & arx in colle munitiſſima, urbi impendens. Hæc anno Domini 1558, ab exercitu Moſchorum Ducis, violenta oppugnatione, cum tota circumjacenti provincia, capta eſt. Hæ vero arces ad hunc Epiſcopatum pertinebant: Falcanavv, caſtrum, & monaſterium inſigne; Neinhaus, 18 miliaribus à Derpt ſita, Rutenis contermina; VVerbeke, Oldentorn, Kiriepe, Verpech. Nobilium arces in hoc Epiſcopatu quatuor præcipuæ erant, videlicet, Olſen, Kanelichth, Raden, Cunctal, ſive Regental; omneſque à Moſchorum Duce cum Epiſcopatu ſubjugatæ ſunt.

Epiſcopatus Habſelenſis & Ozelenſis.

VIkechzlandia regio ad Habſelenſem Epiſcopatum cum ſuis arcibus & civitatibus pertinebat: quæ quatuordecim miliaribus in longitudinem, duodecimque in latitudinem patet, mari Germanico adhæret, & has arces complectitur, quas Svvetiæ rex una cum regione poſſidet.

Habſel, arx principalis cum civitate, in qua eſt Eccleſia Cathedralis. Eam rex Svvetiæ vi ad deditionem coegit.

Lode

Lode arx munita, quam Dux Curlandiæ Gothardus Kietler à Svvetenſium impetu nuper defenderat, & aliquot eis grandia tormenta ademerat; ſed poſtea ab eiſdem capta eſt.

Lehal caſtrum, & civitas, in qua eſt inſigne virginum monaſterium. nunc præſidiis Svvetenſium tenetur.

Ficzkel & Felin, arces, à Moſchovitis exuſtæ & deſolatæ ſunt.

Verder arx munitiſſima, ad fluvium Zundam ſita, ab ipſis Cruciferis Livonienſibus deſtructa & demolita eſt.

Ozilia inſula in mari Germanico, aliquot à litore miliaribus ſita eſt. Ad Ozelenſem Epiſcopatum pertinebat. Arces & civitates duas munitiſſimas habet. eas Cruciferi regi Daniæ prodiderunt. quas nunc magnus ejuſdem Regis Daniæ frater poſſidet, Epiſcopatuſque titulo utitur. Harum arcium una Arnczburg, altera Sonemburg, appellatur.

Curlandia Regio.

HÆc regio in Livonia ſita. A Septentrione maris Baltici ſinu, ab Occidente vero, ubi Pruſſiam contingit, pelago, qui Curlandicus appellatur, alluitur. A Meridie Samogitiæ confinis eſt, Regiq; Poloniæ ſubeſt. ſed eam Gothar-

Kietler, regis gratia & benignitate tenet, tituloque ejus utitur. Has civitates & arces complectitur:

Vinda, arx cum civitate & Palatinatu, Polonis Kieſs dicitur. In ea Magiſtri ſedem ſuam habuerunt, & Comitia conventioneſque celebrare ſoliti erant. nunc Polonicis præſidiis tenetur, adminiſtrante illuſtri & magnifico domino Ioanne Chodkievviez, Generali Samogitiæ, & ſupremo Gubernatori Livoniæ, ac magno Marſchalco Magni Lituanię Ducatus.

Goldingen, arx & civitas cum diſtrictu amplo.

Grubin & Candaph, arces cum præfecturis ditiſſimis.

Tuczkom, Sabel, Durbin, Aſempoth, Shruden, Frauemburg, Alſangen, arces. Nevvburg, caſtrum in finibus Samogitiæ.

Epiſcopatus Curlandiæ ſeptem arces continet, quas Magnus Regis Daniæ frater poſſidet. Epiſcopatuſque titulum ſibi uſurpat. hiſque nominibus hæ arces nominantur: Edvvalen, Pilthen, Haſempot, Angermunde, Dondangen, Neinhaus, & Ambothen.

Semi.

Semigalia Ducatus.

HIc Ducatus Curlandiæ adhæret. A Meridie Lituaniæ contiguus eſt. Haſque arces continet: Solemburg, arx & præfectura; Baſemborg, Doblin, Nithavv, arces cum diſtrictibus. Civitates nullas habet. Totumque territorium, una cum arcibus enumeratis, Curlandiæ Dux prædictus Regis Poloniæ gratia & benignitate commiſſum tenet.

Eſtlandia Ducatus.

EStlandiæ, ſive Eſtoniæ Ducatus, mari Svvetiæ à Septentrione adjacet. Has arces præcipuas cum civitatibus & præfecturis complectitur:

Felin, arx & civitas munitiſſima. Vna cum ultimo Magiſtro Livoniæ Vilhelmo Furſtemberg, feudali Regis Poloniæ, à propriis militibus ſtipendiariis Germanis Moſchorum Duci doloſe prodita eſt. Civitas ipſa exuſta, arx vero præſidiis Moſchoviticis munita, unaque cum diſtrictu, ſive Palatinatu, Moſchorum Duci ſubeſt. Magiſter vero in ea captus, Moſchoviam abductus, in vinculis ſpiritum exhalavit. Atque hunc extremum exitum Magiſtri Livonienſes habuere.

Lais & Talczkoſen, arces, à Moſcho quoque occupatæ ſunt.

Tarneſt, ſive Taurus, arx munitiſſima, præſidiiſque Moſchoviticis proviſa. A Lituanis, Duce exercitus illuſtri & magnifico domino Nicolao Radzivvil Palatino Vilnenſi, pulveribus bombardariis ſuppoſitis ejecta, & cum Moſchovitis, à vi & impetu pulveris volantibus, everſa eſt. Ego etiam huic oppugnationi cum patre meo interſui. Hac autem arce expugnata & exuſta, Lituani quibuſdam Moſchorum abductis, quibuſdam occiſis, velut Tartari, arce deſolata relicta & non occupata, nec munita, (quæ facile inſtaurari potuit,) cum ſpoliis, tormentiſque & cætera ſupellectili bellica ablata, diſceſſerunt, anno Domini 1561, Iulii ultima.

Operpal arcem exercitus regis Poloniæ exuſſit & deſolavit.

Has autem in hoc Ducatu arces rex Poloniæ poſſidet.

Karxhaus, Helmeth, Rugen, Parnavam, arcem inſignem & munitam, cum civitate, mari adjacentem. Hæc à Svvetiæ rege primum occupata erat, ſed poſtea à Polonis inopinate capta in ditionem Regis Poloniæ ceſſit.

Virlandia.

Territorium hoc Livoniæ inter Orientalem & Septentrionalem plagam ſitum, à Septentrione Baltici maris ſinu terminatur, ab Oriente Nerva fluvio celebri, ex lacu Pleiibas emergenti & in mare Balticum ingredienti, alluitur. A Meridie Eſtlandiæ, ab occaſu Hariæ contermina eſt. Et octo milliaribus in longitudinem, à Nerva fluvio ad Revvaliam uſque extenditur; haſque arces complectitur.

Nerva, arx & civitas inſignis, munitiſſimaque, ad fluvium ejuſdem nominis ſita. Ex adverſo in altera ripa arcem à Moſcho erectam, Ianovv-Gorod dictam habet. Atque fluvius prædictus Nerva, has arces interfluens, Moſchorum & Livonienſium imperium olim diſlimitabat.

Tolczeburg, arx ad ſinum maris Baltici, inter Nervam & Revaliam civitates æquali diſtantia ſita.

VVeſenburg, arx & capitaneatus.

Bercholm, olim arx Epiſcopi Revalienſis erat. Aſs quoque, & Eſt, duæ arces nobilium Livoniæ: una Roberti à Gilſen; altera Bernardi de Tabe.

Has omnes arces cum ſuo territorio Moſchorum Princeps occupavit.

Haria Provincia.

HAria juxta mare Svvetiæ ſita, in longitudinem ſedecim miliaribus,& octo in latitudinem, extenditur. Cum Virlandiæque territorio pro Ducatu computatur.

Hæ arces in ea ſitæ ſunt.

Revalia, urbs celebris cum arce muniſſima,ad ſinum marisBaltici condita eſt. Sede Epiſcopali clara. Sub Rege Poloniæ à Svvetię Regis exercitu occupata. Monetam Revalienſes propriam quadraugularem cudunt. Revalienſis Epiſcopus arces aliquot ſibi ſubjectas poſſidebat; in civitatem tamen nullum jus imperiumve habebat, ſed Magiſter ordinis eam adminiſtrabat.

Badis, caſtrum & monaſterium inſigne, Suetenſes inopinata irruptione ceperunt.

Fegueur, arx olim Epiſcopi Revalienſis. A Moſchorum duce expugnata nunc tenetur.

Gervenlandia Ducatus.

GErvenlandia regio mari adjacens, ſeptem miliaribus in longitudinem, ſex in latitudinem patet. Frumenti & cæterarum rerum ex terra naſcentium feraciſſima. unam arcem, Vitenſtein dictam,

ctam, principalem, cum pagis & curiis compluribus nobilium, habebat. Eam ſub Rege Poloniæ, Suetenſium Rex occupavit, Bialykamien, id eſt, albus lapis, Polonis dicta. In his territoriis ſive Provinciis Livoniæ prædictis (quæ etiam pro ducatibus computari poſſunt) variæ ſunt multarum gentium linguæ: plebs ipſa Livonica tribus fere linguis (non multum tamen à ſe differentibus) utitur, ad Lituanicumque idioma magna ex parte alludunt. Barbarie & moribus incultis rigent. Lituanis & Samogitis ob vicinitatem in omnibus perſimiles ſunt. Veſtitu vili, eoque ut plurimum cineritio, ad Germanicum habitum alludenti, utuntur. Ex tiliæ libro, more Lituanorum & Rutenorum, coturnos connectere ſolent; vel ex jumentorum pellibus, una cum ſetis detractis. Fœmineus ſexus in pagis, more gentis Cyganorum, (vel, ut quidam volunt, Cyreneorum) vagabundæ, veſtiuntur, veſtitumque quibuſdam globulis plumbi, cupri & electuariis exornant. Induſia quoque, circa collum præcipue, annulis intertexturiſque variis ornant.

Crinibus paſſis mulieres vetulæ & virgines omnes promiſcue incedunt. Capitis ornamenta quædam, mire ex globulis quibuſdam confecta ad ſimilitu-

dinem

dinem unionum gemmarumve, varii coloris, geſtant. Omnes fere matronæ, ſagæ & incantatrices peritiſſimæ ſunt, artibus magicis ſupra modum deditæ. Pane viliſſimo teterrimoque, & cibariis ſimpliciſſimis, utuntur. Frumenta omnis generis, trituranda excutiendaque, perinde ut Lituani, primo in calidiſſima caſa, ad id præparata, fumo exſiccant, & poſtea in horreo coram extructo excutiunt. In ollis figulinæ artis nuſquam, ſed in lebetibus æreis, cupreiſve, in pagis & civitatibus coquunt; neque tibi ollam argilleam ullibi per totam Livoniam videre licebit. Paleis quoque frumentorum, vulgus magna ex parte cum farina ſiliginis mixtis, utitur. Et quamvis miſerrima gens fuerit, ſupra modum tamen callida, fallax, tumida, atrox, & ad cædes patrandas prompta. Polonos, Lituanos, Rutenos, cæteroſque extraneos, Regi Poloniæ militantes, (extra Germanos, quorum ſub jugo olim fuerunt) maxime inviſos habent, eoſque deprædatores & comeſtores bonorum, ſuique calamitatem, appellant, & ubi poſſunt, quoſcunque milites aſtu circumventos & incautos opprimunt. Vni vel duobus viris tranſitus difficilis eſt, præcipue ſi apud agreſtes pernoctaverint; nam ſomno oppreſſos, magna ex parte trucidant ſuffo-

ſuffocantque. Diverſoria in hac regione rara vel penitus nulla reperiuntur,ſed ad curias & prædia viatores divertere, ibidemque pernoctare ſolent. Templa quoque rariſſime, niſi in arcibus, viſuntur.

Cives & Nobiles omnes Germani ſunt,Germaniſque moribus & idiomate utuntur. Fœmineus ſexus pallia rubea, communiter capiti impoſita, ad talos cum frequentiſſimis plicis gerit. Vittas mulieres in capitibus non gerunt, ſed contricatos crines, (quos maxime nutriunt, vel ad id præparatos adaptant,) tam matronæ quam virgines capiti circumnectunt. Pileos ſive biretos quadrangulares, more Cardinalium Romanorum, geſtant; quædam vero palliis cum velamine, velut tecto, frontem & caput tegente, utuntur.

Sponſa, cum ad matrimonium contrahendum deducitur, corona argentea deaurata rotunda & in altum prominente ornatur; omniſque virginalis & matronarum chorus, rubeis palliis veſtitus, longo ordine præit & ſequitur. Cerviſia ex hordeo & lupulo paſſim in pagis & civitatibus guſtu amariſſima, maxime differenti à cæterarum regionum cerviſia, utuntur; attamen gens illa, & omnes Germani regionis incolæ, hunc potum ſuaviter præbibunt.

Sili-

Siliginis & frumenti Livonia dives eſt; adeo ut exteræ quoque & tranſmarinæ nationes, Lubeca, Amſterdam, Olandia, Dania, Svvetiaque, ejus ubertatem percipiant; ad quas grandi copia frumenta è Livonia deportantur. In Livoniam quoque ipſam ex Ruſſiæ Lituaniæque regionibus, fluvio Dvvina & Nerva, ſiligo & id genus rerum plurimum advehitur. Pecoribus & jumentis domeſticis omnis generis abundat; lacubus, fluviiſque piſcoſis, & ſylvis ad venationem idoneis referta; in quibus habet urſos, alces, vulpes, lynces, marturos, caſtores, & omnis generis animalia. Lepores in Livonia mutant æſtate & hyeme colorem, perinde ut Helvetiis in alpibus: hyeme ſunt albi, & æſtate cinericii. Inferunt & Moſchovitæ pelles urſarum albas in Livoniam, quas ex frigidiſſimis Septentrionis regionibus, maxime ex Dvvina provincia Oceano glaciali adhærenti, acquirunt. Religioſiſſima gens Livonica, poſt ſuſceptam Chriſtianam fidem, Romanæ Eccleſiæ ritum ardenter obſervans erat: Domini etiam ordinis Teutonici, & ipſe Magiſter, priuſquam ad Lutheraniſmum deſciſcerent, religioſa pietate diligenter ordinis regulas, in moribuſque & habitu cultum decentem, obſervabant. Divorum delubra,

pie-

pietate & pulchritudine decorabant, quæ hodie à Lituanis pene demolita & deſolata videntur: ditionemque ſuam ab omni incurſu barbarorum ſtrenue, ſumma cum laude vindicabant: omnia denique illis ex voto (benignitate divina propter religionis antiquæ obſervantiam proſperante) cedebant: & Moſchum barbarum, potentem hoſtem, à finibus ſuis ſæpiſſime ſumma cum victoria propulſabant; prout ex his duobus præclaris & victorioſiſſimis certaminibus (quæ mihi explanare lectori haud ingratum viſum eſt,) apparebit.

Ab anno, quo lux divina, humana in ſpecie cœlitus mundo affulſit, 1381, Magnus Moſchoviæ Dux, Livonienſium caſtrum Nenhuis, in provincia Derptenſi, acerrime oppugnabat. cui oppugnationi ipſe ſua perſona cum trecentis millibus armatorum intererat. Demum poſt diutinam & acrem obſidionem, crebraſque irruptiones, mœnia & propugnacula diruta, labefacere inceptabãt: obſeſſi etiã defatigati, & viribus exhauſti ac deſtituti, divinæ propugnationi & tutelæ humiliter ſeſe ſubmittũt. ipſe etiam præfectus arcis, nocte Veneris diem antecedente, inſomnis ante aram quandam proſtratus, flagranti corde orabat, ut Deus in tam deplorato rerum ſtatu ſibi ſuiſ-

ſuiſque auxiliari dignaretur, felicemque gravis obſidionis liberationem elargiretur. Sole igitur tenebras noctis diſcutiente, cum Moſchovitæ certam jam arcis expugnationem ſibi promitterent, Præfectus ille è precibus exurgit, arcuque arrepto telum cum cuſpide præacuta, è feneſtra propugnaculi in medium exercitum Moſchoviticum jaculatur, & aſpirante conatibus Deo, ipſius magni Principis cor lethaliter transfigit. Concurrunt trepidi Moſchovitæ, dominumque exanimatum levant, & cum magno ululatu deplorantes funeſtiſſimum caſum Domini ſui, relictis caſtris & arrepto cadavere, in Moſchoviam, fuga ſibi conſulentes, pergunt. Livones ex arce ſeſe proripientes, hoſtes fugientes perſequuntur, per agroſque, ſylvas & pagos, pallantes aſſecuti trucidant, obruunt, teliſque transfigunt; & videntes mirabili memorabilique modo numinis auſpicio ſe liberatos, arcum ad perpetuam rei memoriam, Deo dicatum, in Baſilica arcis ad altare appendunt. Solebatque in eo templo cultus divinus magna pietate & devotione peragi. Sed poſtea anno Domini 1551, Lutheranis dogmatibus aſſumptis, nullum priſtinæ pietatis veſtigium conſpiciebatur: arcus tamen prædictus immotus ad altare pendebat. do-

neo

nec tandem anno Domini 1558, Ioannes Baſiliades modernus Dux Moſchoviæ, eadem arce potitus, religionem quoque Lutheranam immutavit.

Aliud celebre & perpetua memoria dignum prælium Livones contra Moſchoviç Ducem geſſerunt, anno 1500, ſub ordinis Tevvtonici Magiſtro, Domino VVoltero à Pletéburg. Qui cum Moſchis bellum inferre ſtatuiſſet, publica jejunia & ſolennes litanias, ſecundum morem Eccleſiæ Romanæ, inſtituit; nondum enim eos Lutherana doctrina à Catholiciſmo tranſverſos egerat. Menſeque Septembri, paulo poſt nativitatem Mariæ virginis, exercitum ordinat. Rigenſis quoque Archiepiſcopus mille Germanos equites adducit, Torpatenſis Epiſcopus quingentos, Revalienſis & Hablelenſis itidem quingentos ſimul. ita ut magiſter Livonicus ſeptem haberet Germanorum equitum millia, & quinque millia Curionum pedeſtrium, (qui populi ſunt Livoniæ, in regione quæ Curlandia dicitur.) Hoc cum exercitu Magiſter Ruſſiam finitimam Moſchoviæ Ducis invadit, arceſque & oppida quædam expugnat. Inde ipſo exaltationis ſáctæ crucis die ad urbem Pſcoviam exercitum ducit. Iuxta hanc ſita eſt planicies duorum miliarium latitudine patens. in

quam cum devenerunt, obviam illis procedit Moſchoviticus exercitus, centum millia armatorum (in duodecim acies diſtributus) continens. His adjunctæ erant Tartarorum copiæ, barbarie feroces, triginta millia conficientes. Itaque Teutonicus Magiſter, ubi aut turpiter fugiendum aut ingenti cum animo adverſus tantum exercitum, barbarie & armis formidabilem, procedendum videt, nihil de victoriȩ ſpe remittens, aleam belli tentare conſtituit, &, animis ſuorum confirmatis, claſſicum canere juſſit. Moſchovitæ quoque ex adverſo ſigna tollere, patrioque more tubas inflare, & timpanulas (quas parvas ſinguli præfectorum habere ſolent) pulſare cœperunt. Magiſter Teutonicus, globos tormentarios ſclopetarioſque, velut crebra continuaque tonitrua, in Tartaros contorquet. Tandem maximo clamore, ſtrepitu, armorumque coruſcatione, utrinque concurrunt. Tartari & Moſchovitæ, arcubus & ſagittis aſſueti, denſiſſimo creberrimoq; telorum jactu æthera obumbrant; quæ tamen emiſſa aërem irrita verberabant. Tartari ubi prælio à Teutonicis fuſi fugatiq; fuere, duodecim Moſchorum acies centum millia conficientes, viribus animiſq; recentes ſuccedunt. Teutones cæſis Tartaris, ubi bellum recru-

crudeſcere ſentiunt, quanto majorem hoſtium vim prioribus ſuccedere vident, tanto majoribus animis in hoſtes irruere, & velut ab integro nova virtute reſumpta, ingenti cum fremitu, cæſim punctimque, vergente jam ad veſperam die, confligunt. Ex Moſchovitis qui ſupererant, fuga ſibi conſulentes, in Pſcoviam ſe recipiunt. Prælio itaq; dirempto, compertũ eſt, ex Teutonicis unum duntaxat deſideratum, compluresq;, ſed non lethaliter, vulneratos: Moſchovitarum vero & Tartarorũ circiter centena millia trucidata; ita ut duobus miliaribus cadavera paſſim proſtrata jacerent. triginta vero millia fuga elapſi ſunt. Memorabilis ſane triumphus, & ſempiterna memoria dignum ſingularis virtutis & fortitudinis exemplum. Hac igitur clade ſuorum Moſchorum Dux Baſilius Ioannides audita, ſummo ſtupore admiratus, tantum exercitum à tam exiguo tam turpiter cæſum & proſtratum, ad quinquaginta annos cum Teutonicis inducias confeſtim firmavit; Rutenique & Moſchovitæ ab eo tempore Teutonicos ferreos viros appellabant.

Ex his igitur feliciſſimis & victorioſiſſimis duobus Livonorum cum Moſchovitis præliis (quamvis multa varii eventus prælia inter eos utrinque eveniebant)

bant)apparet, quod Livonienſes, ordoque Teutonicus,priuſquam à Catholiciſmo deſciſcerent, manu divina contra quoſvis incurſus hoſtium propugnabantur, omnibuſque rebus ex terra naſcentibus,& cæteris fortunis,copioſe affluebant. Vbi vero Lutherana dogmata amplecti anno Domini 1527 cœperunt, pietatem & religionem avitam, cum omnibus virtutibus una excuſſerunt. Poſtea variis & diverſis plagis omnes paſſim graviſſime afflicti ſunt; adeo ut univerſa elementa in vindictam eorum conſpiraſſe viderentur. Terra enim regionis, quæ omnium frugum & fructuum leguminumque feraciſſima erat, victum (nihil proferens) illis denegabat. Aqua etiam lacuſque olim piſcoſi nullos piſces dabant. Aër quondam ſaluberrimus, hominum ſaluti à Deo conceſſus, in venenum & contagium converſus erat. Igne etiam & ferro Moſchovitæ univerſam Derptenſem Provinciam crudeliter vaſtabant. Sed Teutonici fratres nobiles, & cives, hujus afflictionis culpam, & numinis offenſam,Catholicis imputabant.

De inteſtino & civili Livonienſium bello, & cauſa expeditionis Regis Poloniæ contra Magiſtrum Livonienſem.

MAgiſter Livonię, cum omnibus Teutonici ordinis fratribus & equeſtri ordine, poſt Lutheraniſmum ſuſceptum, Archiepiſcopo Rigenſi collegæ ſuo, ob non ſuſceptum dogma Lutheri adverſabatur. Hic autem Archiepiſcopus ex illuſtri proſapia Marchionum Brandenburgenſium genus ducebat, frater Alberti Marchionis Brandenburgenſis, olim Magiſtri Teutonici ordinis, & poſtea Ducis in Pruſſia, nepoſque Regis Poloniæ.

Magiſter itaque, Comitiis generalibus celebratis, concluſit & conſtituit, Archiepiſcopum bello appetendum eſſe. in quod totus ordo & nobiles cum omnium ſuffragiis conſenſerunt. Epiſcopus quoque Torpatenſis Hermanus, ut erat inconſtantis animi, facile ad oppugnandum Archiepiſcopum inductus eſt. Revalienſis etiam & Habſelenſis Epiſcopi, Magiſtrum metuentes, facile in caſtra ejus conceſſerunt. Et ita univerſa Livonia in Rigenſem Archiepiſcopum hoſtiliter conſpiravit. Anno itaque 1557, paulo poſt natalem divi Ioannis Baptiſtæ,

ordinis Teutonici Magiſter, Vilhelmus Furſtemberg, exercitum cum Commendatoribus conſcribit. tres quoque Epiſcopi prædicti copias ſuas eidem conjungunt. Sicque inſtructiſſimo exercitu, & magno cum apparatu, Rigenſem Provinciam hoſtiliter invadunt. Archiepiſcopus Rigenſis tametſi defenſionem meditaretur, & magnam nobilium partem ſibi adjunctam haberet, infirmior tamen erat, & viribus impar, ut tanti exercitus vim ſuſtinere & propulſare neutiquam poſſet. In arcem itaque Cokenhuſen, natura loci munitiſſimam, in edita rupe conſtructam, cum ſuis profugit. Magiſter vero eum cum univerſo exercitu ibidem gravi obſidione oppugnabat, tormentis machiniſque bellicis muros fatigans. Sed neque tormentorum crebra tonitrua, neque validos hoſtium impetus muros labefacere poterant, ſola fames & inedia obſeſſos ad deditionem compulit. Octavo itaque obſidionis die, portis adapertis, Archiepiſcopo jubente, hoſtibus ſeſe dederunt. Ordinis Teutonici Magiſter Archiepiſcopum, non ut unius Provinciæ & urbis Rigenſis conſortem, non ut claræ proſapiæ Brandeburgenſium Marchionum Principem, non ut Præſulem & Primatem, ſed veluti barbarum hoſtem tractat, contumeliis

& probris ludificatur, omnibuſq; oppidis, arcibus & pagis mulctatum, carceri mācipavit, totoq; anno vinctū detinuit.

Rex Poloniæ Sigiſmundus Auguſtus, ubi id ab ordinis Marſchalco (quem Magiſter bonis omnibus ſpoliatum, eo quod bellum contra Archiepiſcopū diſſuadebat, expulerat) reſciviſſet, nepotis ſui ſervilem capivitatem ægre ferens, Epiſcopum quendam in Livoniam ad Magiſtrum deſtinavit. Qui cūm multis rationibus de liberando Archiepiſcopo nomine Regis coram Magiſtro ageret, Magiſter neque excarcerandi Archiepiſcopi nec componendorum diſſidiorum ſpem præbuit. Itaque Legatus re infecta ad Regem revertitur. Qui, ut operam ſuam irritam cognovit, ordinis Magiſtro, omnibuſq; ejus auxiliariis, bellum denunciat. quo nuncio accepto, confeſtim magiſter ingentem theſaurum in Germaniam ad exercitum ibidem conſcribendum, mittit; adductaque ſunt aliquot millia equitum & ſex vexilla peditum Germanorum in Livoniam. Rex Poloniæ haud diu moram trahens, infeſtis ſignis in Livoniam contendit: equitum ſimul & peditum armatorum virorumque electiſſimorum centena millia, cum tormentis, ampliſſimaque bellica ſupellectili, procedunt. Ordinis Magiſter

univerſos quos habebat præfectos & commendatores Regi opponit. Epiſcopi quoque tres, Derptenſis, Revalienſis, & Habſelenſis, copias ſuas eidem conjungunt. Itaque ordinis Magiſter tunc temporis habebat Germanorum equitum ſeptem millia & ſex peditum vexilla, bene armatos. præterea etiam agreſtium aliquot millia Livonorum. Sed Magiſter, Polonorum validiſſima lectiſſimaque manu conſpecta, victoriæ ſpem prorſus abjecit; legatumque ad Regem, qui præſens in armis erat, ocius deſtinavit, prælium deprecando, & pacem humillime efflagitando. Rex clementer & benigne reſpondit, Niſi viduas, pupillos, orphanos, & inopes, innocenteſque colonos miſereretur, nullo pacto pacem ſe cum Magiſtro initurum; ſed ut Magiſter ordinis agnoſcat, (inquit,) me ſanguinis aut belli ſitientem non eſſe, ipſe, ſi pacem expetit, huc ad nos intra 18 horarum ſpacium accedat, Principemq; & Archiepiſcopum Rigenſem una adducat. dein pacis & concordiæ rationem inibimus. Teutonicus Magiſter hoc reſponſo accepto, confeſtim Archiepiſcopum, qui non longe aberat, cuſtodia liberari & è vinculis educi jubet. Ambo itaque, trecentis equitibus inermibus ſtipati, ad regem veniunt. Ibi cum ultro citroque de

pace

pace agereiur, tandem concluditur, ut Magiſter ordinis Archiepiſcopum in priſtinum ſtatum reſtitueret; omneque damnum & detrimentum eidem illatum reſarciret; præterea Regi Poloniæ ſtipendia in milites erogata perſolveret. Graves hæ erant ordini Teutonico pacis conditiones. attamen Magiſter, metu gravioris periculi urgente, conſenſit, & ſecundum pacta omnia præſtitit. Poſtea Archiepiſcopo prædicto è vivis decedente, Rex omnes arces civitateſque, pagos, & curias, ad Archiepiſcopatum pertinentes, jure propinquitatis in Livonia occupavit. Magiſtro quoque prædicto à Moſchovitis in arce Felin per proditionem militum ſuorum capto, & in Moſchovia in vinculis mortuo, tota Livonia cum ſuis Provinciis in jus Regis Poloniæ ceſſit. Atque hic ultimus Magiſter ordinis, Vilhelmus Furſtemberg, Magiſterium, Teutonicorumque fratrum Crucigerorum in Livonia ordinem, terminavit, abſolvit, finemque ſupremum impoſuit.

EX HONORIO,

DE INTERREGNO POLONIÆ, ANNO 1587, HORATII SPANORCHII DIVINATIO.

REgum vitam & mortem, cum in manu Dei utraque ſit, & à divina providentia, quæ nunquam errare poteſt, proficiſcatur, quin ſemper opportune accidat, dubitandum non eſt. Humanus tamen intellectus, quin ex rerum effectibus eliciat argumenta, ac ratiocinetur, fieri nequaquam poteſt.

Equidem mors Stephani Battorii, qui ultimus Poloniæ fuit Rex, illi regno plurimum detrimenti attulit, ideo quia Princeps ille virtutibus excellebat. Chriſti religionem mirifice juvabat, externa pericula amovebat, inteſtinis bellis occurrebat.

Moſchus jampridem Ducatum Pollocii Polonis in finibus Moſchoviæ conſtitutum, & Livoniam ac Severiæ ducatum, item Smolenskum, Lituaniæ membra, eripuerat: quas provincias Rex Stephanus magno ſtudio vindicare conatus eſt, recepitq; Ducatum Severiæ, ac Smolenskum, dumque pro cæteris urgebat, pax anno 1582, concluſa eſt per P. Poſſevinum ad novennium, quæ deinde ad qua-

quadriennium à Rege Stephano limitata eſt; quod equidem belli proſequendi erat argumentum. Hujus autem morte Moſchus non tantum deſignatum bellum amplius non extimeſcit, verum etiam, niſi in locum defuncti rex alter ſubſtituatur paris virtutis, Ducatus illos, qui ad Lituaniam, Coronæ Polonicæ jam conjunctam, ſpectant, denuo recuperaturus eſt: adjutus præſertim à ſchiſmaticis, qui Podoliam & Ruſſiam incolunt, & Polonicum dominatum à cervicibus ſuis cupiunt depellere. Sola Stephani Regis virtus Tartaros, perpetuis excurſionibus Ruſſiam, trajecto Boriſthene, infeſtare, & Leopolim uſque depopulari cuncta ſolitos, refrenavit; & aliquando invadere auſos, profligavit. Turcarum Imperator anno 1584 ab eodem Stephano petierát, ut juxta veterem conſuetudinem certum militum numerum ſibi concederet profecturo ad bellum Perſicum. quod Rex negavit, inquiens, Albam aquilam Polonicam nuper deplumatam atque inertem, jam pennas ſuas recepiſſe, jamque juveneſcere, & ungues roſtrumque exacuiſſe, adeo ut ſe ditionemque ſuam egregie defenſura ſit. Turcę conſuetas in Poloniam incurſiones valde remiſere, poſtquam anno 1584 Poloni multa caſtella diripuerunt,

puerunt, & præſidiarii milites Coſaſci nuncupati, Seigam Turcarum arcem deprædati ſunt. quo facto hoſtes parum commoti, quędam tantum capita factionis illius petivere, & Polledaſtrum quendam Polonum, qui equorum coemendorum gratia Conſtantinopoli degebat, interfici juſſere; qua in re modeſtius egere, dubio procul propter eximiam Stephani regis apud ipſos exiſtimationem. Rex Sueciæ ducatum Lituaniæ, ac Livoniæ, nec non dotem Eliſabęthæ reginæ uxoris ſuæ, cum ingenti pecunię ſumma quam Regi Sigiſmundo Auguſto commodatam fuiſſe conſtat, prætendit, neque tamen regnante Stephano quidquam attentavit. Idcirco caveat ſibi Polonorum Reſpublica à tot Principum diverſorum ac ſibi finitimorum juribus, ac prætenſionibus, nunc præſertim, cum deſtituta eſt rege, cujus fortitudo atque charitas conditionem mortalium cæterorum excedebat.

Regni diſſenſiones multæ ſunt. Prima religionis cauſa non mediocris habenda eſt, & mala plurima parere ſolet. Primo etenim diſcordes fiunt Secularis atque Eccleſiaſticus ordo. unde aliæ proficiſcuntur calamitates. cujuſmodi eſt diminutio auctoritatis Epiſcoporum, & Metropolitarum, Eccleſiarum profanatio,

ſacro-

ſacrorum bonorum uſurpatio; ſacerdotibus alimenta denegantur, decimarum exactio impeditur, ſacrorum hominum perſecutio admittitur: injuriæ denique adverſus proximum & ſeipſum, imo & Deum, commiſſæ, non caſtigantur. Alterum incommodum ex turbata religione eſt, quia ſectarum diverſitas inter populos rixas & inimicitias diſſeminat. quæ non modo in provincias, in civitates, in domos penetrant: ſed etiam patrem & filium, virum & uxorem inter ſe inimicant, abſque ullo honeſtatis, & politiæ, nedum pietatis, & Chriſtianæ charitatis reſpectu. Tertium eſt, quia ſectæ hujuſmodi libertatem conſcientiæ adſtruunt. quæ profecto libertas legibus divinis, naturæ humanæ, juribuſque ipſius regni obſiſtit. cum enim libidine ſua ducantur, nullamque legem aut conſuetudinem obſervent, regia quoque edicta floccifaciunt.

Altera diſcordia eſt ex animorum propenſionibus, quibus Poloni in diverſas partes diſtrahuntur: nam cum Corona illa electitia ſit, plerique Principum ad eam adſpirantes eorum animos ſibi devincire curant. quod pluribus efficiunt modis, ſed præſertim occaſione peregrinantium: nam cum juventus Polonica mirum in modum peregrinationibus dele-

delectetur, ad diverſorum Principum imperia advehuntur, ubi ſummam experti humanitatem, mox in patriam reduces, coguntur ob beneficiorum memoriam Principis benemeriti partes favere: quod ſtudium gratique animi ſignificationem nullo aptius tempore, quam in interregno, exhibere queunt, cum ſcilicet ſingulorum vires & auctoritas adæquatur: unde fit,ut animorum fiat diſcretio,quæ vivente rege rempubl. nequit offendere, propterea,quod natio hæc Principi ſuo fideliſſima putatur: ſed nihilominus hæc animorum diſſidia, & exterorum amicitiæ, inter eos aliquam forte ſimultatem pariunt.

Tertia in regno diſſenſio eſt ordinum Senatorii & Equeſtris:ad quam rem melius percipiendam ignorandum non eſt: etſi Nobilium ſingulorum ea eſt mens atque cura,ut libertas communis ſit, omnibuſque æqualis, tamen politiæ neceſſitatem introduxiſſe, ut ii, qui in regiminis adminiſtratione conſtituti ſunt, majori floreant auctoritate, ac nominis exiſtimatione: ideoque horum ſuperior dignitas duobus gradibus inſignitur, videlicet Palatinatu, & Caſtellanatu: alter provinciis præeſt, alter civitatibus. Quoniam vero Reges, qui anteactis temporibus illud ſceptrum tenuere, hos

digni-

dignitate eminentiores paulatim ad publicas conſultationes convocarunt, etſi iis inconſultis jubere, ac diſponere, præmia diſtribuere, ac punire pro arbitratu ſuo poterant: parvo temporis progreſſu invaluit mos & conſuetudo, ut viri dignitatibus hiſce conſpicui unum corpus conſtituant, quod Senatorius ordo nuncupatur. reliqua nobilitas magnum quoddam eſt chaos ob regni amplitudinem. Quoties autem conſtitutiones ac decreta aliqua publice ſtatuenda ſunt, tenentur Palatini ſuos provinciales nobiles congregare in civitatem aliquam, ubi tractandis rebus propoſitis ſuam ſinguli auctoritatem, arbitriumque & conſenſum, aut diſſenſum rei decernendæ adhibeant: & juxta majorem nobilitatis partem ſtabilito decreto, eliguntur procuratores terreſtres, Nuntii nuncupati: qui ſimul cum aliis ab aliis provinciis pariter deputati ad locum ubi Regis arbitrio comitia generalia celebrantur, conveniunt; & conventus ille Equeſter ordo dicitur, primo ordini inferior dignitate, ſed auctoritate æqualis: quocirca fere ſemper Senatorii ordinis opinionibus atque approbationibus contradicere atque reſiſtere conſuevit. Cauſa diſcordiæ inde proficiſcitur, quoniam Senatores id unum reſpiciunt, ut regiæ volun-

voluntati obſecundent: nam à Rege honores & opes conſequuntur. at Equeſtris ordo bonum publicum reſpicit, ſibi perſuadentes, niſi obſiſtant Senatoribus, libertatem ſuam perditum iri, & invalituram tyrannidem, hincque ordini Senatorio, quoad poſſunt, adverſantur.

Quartum diſſidium eſt familiarum nobiliſſimarum, ac minus nobilium, inter quas familias parum convenit: proinde ſi ad aliquem ex ſe ipſis eligendum veniretur, magnæ in interregno turbæ cieri, atque errores commtti poſſent.

Poſtrema diſcordia eſt provinciarum, veluti Lituaniæ, Ruſſiæ, & Livoniæ, nobilibus illis ægre ferentibus, cum ipſi potentiores eſſe ſibi videantur, regi à Polonis. Rex autem Stephanus omnes haſce diſcordias egregie callens, curabat, ut eas omnes conſopiret. Nam ad primum Religionis incommodum amovendum, omnes hæreticos ex regiis civitatibus exigebat, aulam ſuam abominabili hac peſte purgabat, ædificabat Eccleſias, Collegia erigebat, piis locis reditus aſſignabat, benemeritos homines ad gradus Eccleſiaſticos provehebat, decimarum exactionem concedebat, denique in generalibus Comitiis punctum Religionis ante omnia determinari curabat. futuriſquoque electionibus

formam

formam præſcribere conatus eſt, quo nobilium diverſæ inclinationes irritæ fierent, multiſq; ideo incommodis obviam iretur, quæ ex hiſce diſcordiis atque ad exteros propenſionibus emanare poſſent, quemadmodum paulo antea acciderat, ut accerſito in regnum Maximiliano Imperatore & ex altera parte ipſo Battoreo, parum abfuerit, quin ad cruentum prælium deſcenderetur: Senatorum diſcordias ſedare atq; componere ſumma ope nitebatur, etſi malevoli in ſiniſtram partem id interpretabantur: Nobilium diſſidia tollebat, omnibus ſe eundem æqualiter præbens, in eos æqualiter dignitates conferens, publicos reditus diſtribuens, adverſus turbidos ſeverus, pacis ſtudioſos quoſlibet protegens atque defendens. Differentiæ vero atque diſſidia provinciarum pene extinctæ erant, præſertim cum Grodnam civitatem in finibus Lituaniæ atque Poloniæ ſitam, perpetuam fere ſibi regiam delegiſſet: proinde videbatur utrique provinciæ gratificari; & ad juſtitiam adminiſtrandam, & ad auxilia ferenda, æque commode ſe habebat, utramque indifferenter fovebat. In monetis quas poſt pacem initam cum Moſcho excudi juſſerat, aſſeruit, utrique Reipublicæ ab ſe reſtitutam eſſe Livoniam & Polocium:

quibus moribus utrique parti mirum in modũ ſatisfaciebat. Quicunque candidatorum à Pontifice promovebitur, is dubio procul omnibus anteponendus erit, ob eam potiſſimum cauſam, quia nemo timere debet, à ſummo Pontifice propoſitum iri virum regio culmine illo indignum, partim quia S. Sedis Apoſtolicæ opera, utpote à Spiritu S. profecta, & citra humanos reſpectus ſuſcepta, digna exiſtimantur patrocinio bonorũ Chriſti fidelium, imo & ab inimicis S. Eccleſiæ nonnunquam adjuvantur, partim quia vel hinc argumentum deſumeretur, eum virum eſſe revera Catholicum: quandoquidem veriſimile eſt, rempub. illam ad hoc præcipue reſpecturam ut Catholicus eligatur, non modò propter antiquã regni conſuetudinem, cui hactenus derogatum non fuit, verum etiam, quia ipſimet hæretici curaturi ſunt, ut in talem Principem cadat electio, qui ſe Catholicum expreſſè profiteatur, quemadmodũ in præterito interregno clariſſime determinatum eſt, antequam Stephanus Battoreus de Glormenir eligeretur: nam cum inter ipſos ambigeretur, num conducibilius eſſet, hæreticum hominem eligere, & vererentur omnes, ne ope hæreticorum nomen nobilitatis extincturus eſſet; Palatinus Vilnenſis, qui tunc hæreticus erat, &

perti-

pertinax,quiobgravem ętatem,rerumq; publicarum experientiam, cunctis venerandus videbatur,conſuluit,longe magis reip.expedire,utCatholicus præferretur, inquiens,ſi ſecus fieret,cum primum hęreticus regnum adeptus fuiſſet, & juſtitiam ſiniſtre adminiſtraret, vel tyrannidem occupare vellet,neminem fore, qui ipſum à propoſito dimovere poſſet;nihil enim ille vereretur miniſtros, quin eos etiam occideret,nedum aſpernaretur:at, ſi in Catholicum hominem conſentiretur,pręter conſcientiam juriſiurádi,contra quod nihil efficeret,manſurum in officio ob cenſuras eccleſiaſticas à Pontifice;cui preterea obedientiam pręſtiturus, & tanquam ſuperiori obediturus eſſet.

Pontificii candidati plurimum etiam adjuvabũtur à ſenatoribus eccleſiaſticis, qui autoritate pollent,&quorum ſuffragia majoris æſtimanda ſunt: non modo quia viri doctrina pręſtantes ſunt,& virtutum ſuarũ cauſa ad eos gradus pervenere,unde ad cæteros perſuadendos plurimũ valebunt;ſed etiam quia primi ſunt ſuffragatores,& qùia regis locũ tenet archiepiſc. Gneſnenſis, cujus in interregno pręrogativa eſt,ut in ſolio regio reſideat, tanquam legatus natus, & primus, præſertim hodiernus archiepiſc. Karanoxki vir innocentia clarus, & erga Pontificem

Sixtum V egregie animatus, quemadmodum promptitudine congratulationis, quam per legatum ſignificavit, ſtatim atque Pontificatum idem Sixtus adeptus eſt, teſtatum eſſe voluit.

Præterea plerique Senatores & capita nobilitatis libenter omnem mundanum reſpectum & amicitiam poſthabebunt, ut ſedis Apoſtolicæ parti adhæreant, cum quia eidem addicti ſunt, atque devotiſſimi, tum etiam, quia in re tanti momenti videbuntur conſcientiam ſuam in tuto loco habere, faventes Eccleſiæ candidatis: alioquin ſi electio infeliciter ſuccederet, non ſolum merito ſibi ipſis, ſuæq; pertinaciæ atque impietati, omne damnum imputare debebunt; verum etiam ſuæ utilitatis cauſa Eccleſiaſticos candidatos provehent; quandoquidem eo caſu miniſtri Apoſtolici tenebuntur eos Regi commendare, ut ad Senatorias dignitates evehantur, & publicos reditus, quorum collatio ad ſolum Regem ſpectat, obtineant. Apud Regem enim nemo efficacior videtur eſſe debere deprecator, quam Apoſtolicus miniſter, utpote qui facillimum habet ad Regem aditum, ac proinde quem mavult, aut dignum putat, minimo negotio juvare poteſt. His igitur ita ſe habentibus, nunquam mihi venit

in

in mentem dubitare, quin Summus Pontifex miniſtris ac procuratoribus ſuis mandaturus ſit, ut ad eam Coronam Principem commendent benevolum ac fidum partibus ſuis, vitæ integerrimæ, religionis amantem, charitatis, juſtitiæ & ſanctitatis laude eximium, cum ut ab illo omnes boni ſub illo cœlo degentes, virtutum exemplum capiant, & in bonitate ſua perſeverent, aſpicientes, pacem ipſorum, atque politiam, Pontifici vehementer cordi eſſe, tum etiam quia is qui favore Pontificis provectus fuerit, ad ejus partes maxime inclinabit: qua de re negotia ſedis Apoſtolicę ex voto ejus miniſtrorum tractabuntur: alioquin ſi aliunde ſceptrum obvenerit, quotieſcunque in uſum cleri & Eccleſiæ agitandum aliquid fuerit, vel raro, vel ſumma cum difficultate, Regem inflectent ad ea pro ratione temporum concedenda, quæ ſacerdotes vel pias cauſas adjuvare poſſunt; præſertim quoniam graviſſimę ſunt ex ipſis controverſiæ, quæ intercedunt illic inter ordines Eccleſiaſticum ac Secularem. Sed præter hæc Summus Pontifex obviam ibit, ne regnum illud ad Principem aliquem hæreticum perveniat, quod fieri non poſſe, nobis omnino polliceri non debemus, non obſtantibus regni conſti-

tutionibus, & numero Catholicorum maximo, & cum in præteritis interregnis conſpexerimus, hæreticos validis præſidiis munitos nulla vi detineri potuiſſe, quin perniciosiſſimum juſiurandum offerrent regi, quo obligaretur conſcientiæ libertatem defendere, quemadmodum & juratum eſt. Quæ res tantum hactenus detrimentum peperit, ut paulo deterius eſſe videatur, ſi Regem profeſſione hæreticum coronarent. Quapropter, ne Rex eligatur, qui tam nefarium ſcelus admiſſurus ſit, libertatem conſcientiæ admittendo, Summus Pontifex operam omnem navare deberet, ut regnum illud ab hujuſmodi Principe gubernaretur, qui religionem ſartam tectam conſervaret; & priſtino ſuo candori reſtitueret. Sed ut ad inſtitutum revertamur, principem ad hoc regnum Pontificis ope promovendum conſideremus: multis enim eum dotibus inſignitum eſſe oportere, minime dubium eſt, quæ ſcilicet regno ac nobilibus, nec non occaſionibus, quæ indies ſeſe offerunt, reſponſuræ ſint. Verum credendum eſt, Pontificem ab initio nihil tentaturum, & auctoritatem ſuam minime interpoſiturum eſſe: prius enim explorandum videtur, ad quem Poloni propendeant, & candidatorum natura,

virtus,

virtus, pietas attendenda eſt, tumq; Pontifex in favorem ejus, quem ob ſua merita eligendum, & quem facilius Polonis placiturum, atque electum iri putaverit, inclinabit. Idcirco ego cum Sedis Apoſtolicæ patrocinium, quod prævalidum futurum eſt, huic diſſertationi applicare nequeam, de iis ſermonem inſtituam, quos in generalibus Comitiis nominatum iri veriſimile eſt. Veruntamen animadvertendum, (ſicuti in Polonia degens obſervavi, & nunc in Italia à Polonis quibuſdam, poſtquam Regem mortuum eſſe allatum eſt, audio) fieri poſſe, ut antiquis ſeculis uſitatus mos reperiatur, ut ſcilicet regia auctoritas deferatur omnibus, vel nonnullis ipſorum Senatoribus aut Palatinis, amoto Regis nomine pleriſque exoſo, aut ſaltem ne peregrinum quemquam principem Regem cooptent, ſed Piaſtum aliquem aſſumant: hoc autem vocabulo indigenam Regni voco, ducto etymo antiquo Piaſto, qui etſi indigena & vilis homo foret, veluti legitur in Chronicis Poloniæ, tamen mirandum in modum Rex fuit electus, cujus poſteri ſexcentis annis regnum perpetuo retinuere: proinde non abre fuerit, quid hiſce de rebus cenſendum ſit, pauliſper conſiderare. Quamvis enim Senatores, qui cæteris

præſtant, libenter hujuſmodi propoſitionem audituros, credendum ſit, nihilominus,cum imperiorum diviſiones ex ſe ipſis pernicioſiſſimæ exiſtant, putandum eſt,id difficulter effici poſſe, ob factiones, quæ diverſæ inter ipſos vigent: quæ profecto ob ipſorum affinitates & clientelas reliquam etiam nobilitatem inficiunt: exemplo quoque deterrebuntur, quod hiſtoriarum monumenta teſtantur:nam hęc diviſio quondam ipſos adeo attrivit,ac debilitavit,ut finitimarum provinciarum hoſtilibus armis reſiſtere non tantū impares eſſent, ſed etiam privatas inimicitias exercerent per civilia bella,& proprii ſanguinis effuſionem: quæ res noſtris temporibus magis timeri poſſent, cum propter magnam hoſtium fidei Chriſtianæ potentiam, à quibus regnum illud circumdatur, cujuſmodi ſunt Turcæ, Scythæ, hæretici, ſchiſmatici; tum etiam propter ſimultates, quæ inter primarios viros regnant: præterquam quod Zamoſcius Cancellarius, vir olim apud Stephanum gratioſus,& divitiis affluens, potenſque, omneſque ejus amici, cum ipſe non tanquam Senator, ſed tanquam Senatus ipſius miniſter, inter Senatores conſideat, ab omni prærogativa facile excluderentur. Adduntur præterea inter cæteros Sena-

Senatores aliæ differentiæ, ob religionem prius, deinde ob nobilitatem, aliaque, unde bella civilia, cujuſmodi nunquam inter Polonos geſta fuerunt, timenda eſſe videntur. Quod pertinet ad electionem Piaſti, ſive indigenæ alicujus, dubitandum non eſt, quin major pars conſenſura eſſet, ſi modo, quis eligendus ſit, concordare inter ſe poſſent: nam audiuntur ſępenumero privati nobiles plerique lamentantes, quod exteros advocent ad eos reditus conſumendos qui ex ipſorum Polonorum crumenis exiguntur, eoque magis, quia ſæpe cernunt, in eos benificium pariter exterorum hominum converti, quos in univerſum minime diligunt. nam tametſi ex nobilioribus quiſpiam externum aliquem illuc vel curioſitate, vel habitandi cauſa advectum ſuo patrocinio fovendum ſuſcipit, ut ſunt natura humani, vel ab aliis nationibus laudabilem hunc morem mutuati fuerunt: tamen compertum eſt, eoſdem peregrinos à populo ægris oculis aſpici, odio haberi, ac ſępe male tractari. quemadmodum malevolentiæ hujus adverſus alienigenas ſpecimen dederunt, cum in penultimis comitiis nobilitas contra Regem exclamabat, & querebatur, propterea quod in bello Moſchovitico aliis, quam nati-

vis militibus uteretur, iiſque munera & majora ſtipendia, quam indigenis nobilibus, conceſſiſſet, nonnullos etiam Italos præmiis affeciſſet opimis, & ſtipendiis eos detineret, & dimiſſo exercitu cætero, eoſdem in hyberna deduceret: Quod tamen in paucis verum comperiebatur: hi vero inſignes fuerant viri: ut Rodulphinus, qui deinde in Tranſſylvania vitam depoſuit, & Dominicus Mora, qui nunc quoque in eo regno ſtipendia meret. Ægre ferunt præterea, cum vident Regem utentem peregrinis, & nobiles Polonos poſthabentem in aulicis officiis, eoque magis, cum ad gravia negotia peragenda inſinuantur. ſicuti potiſſimum conqueſti fuere, cum Stephanus Rex, poſt pacem cum Moſcho ſtabilitam, Alamanium Curiæ Magiſtrum, & nobilem Florentinum legatum ſuum, miſit ad Regem Suecorum Livonicarum rerum gratia. Dicunt alii, dum exterus princeps accerſitur, quodammodo dehoneſtari virtutem ac nobilitatem tot Polonorum, qui regendæ patriæ idonei ſunt: ad quam rem eo acrius animantur, quia priſcæ ipſorum hiſtoriæ tradunt, etiam ante primam electionem Piaſti, indigenam ſemper ad regnum vocatum fuiſſe. & quamquam exempla illa magna ex parte ridenda ac fabuloſa

fabuloſa videntur, tamen familiæ Piaſtæ, & poſtea Iajellonicæ, documenta animos addunt ad Piaſtum promovendum: præterquam quod putant, ideo regnicolam eligendum, quia Henrici Regis fuga deluſi ſunt, regnumque Stephani infortunatum fuit; cum ob imperii ejus brevitatem, & propter difficultatem in perdomandis Dantiſcanis, qui, dum oppugnaretur Livonia à Moſcho paulo ante capta, defecerant; tum propterea, quia minus gratus fuerat ſubditis, ac forſan ab ipſis petitus inſidiis, ſed præſertim, quia ſine liberis deceſſiſſet: arguentes inde, diſplicere Deo, ut hic novus ordo exteros Reges alendi continuetur. Neque illud admittunt, in bene conſtituta Republica, in qua omnes nobiles pari jure cenſeri, & æquali auctoritate perfrui deberent, non convenire, ut unus cæteros ſuperemineat, eique omnes obtemperare teneantur: nam reſpondent, quemadmodum toleratur, ut inter ipſos nonnulli dignitate atque auctoritate, diſcreti ordinibus præſtent, idque ob neceſſitatem, quam ſecum affert juſtitiæ adminiſtratio, tanto magis hanc eminentiorem regiam dignitatem alteri ipſorum concedendam eſſe, cum juſtitiæ adminiſtrandæ ſupremam reſpiciat ſolummodo auctoritatem, præ-

ſertim

ſertim quia publicarum rerum conſulta, & decreta omnia, quæ prius ad Regem ſpectabant, jam ad comitiorum generalium communem poteſtatem abſolute redacta eſſe videntur: quod ſi rex in aliquo cæteris excellit, id potiſſimum conſiſtit in conferendis arbitratu ſuo omnibus dignitatibus, officiis, gubernationibus, ac reditibus publicis. Ecquis autem non videt, ad hanc rem indigenam, quam exterum, aptiorem eſſe? cum hæc omnia illis nobilibus Polonis diſtribuenda ſint, qui vere digniores exiſtunt: hi vero difficile cognoſcentur ab eo, qui in regno diutiſſime non ſit verſatus; quemadmodum ab incola, qui ſceptro illo non haberetur indignus, optime cognoſcerentur. Quæ argumenta dubio procul ab illis, qui primatum aliquem evehere cupiverint, explicabuntur, non minus in convocatione Lovicienſi, quæ ab Archiepiſcopo Gneſnenſi intimabitur, quam in aliis provincialibus conventibus: quin etiam in ipſis Varſovienſibus Comitiis, ad quæ omnes pro novo Rege eligendo convenient.

Verum hiſce, quæ hactenus diſſertata ſunt, vehementer, & oratorie, atque efficaciter, à quocunque proponantur, duæ conſiderationes obſtant, adeo, ut hujus rei effectus nullo pacto obtineri

queat,

queat. Prima eſt,quoniam inter Lituaniam & Poloniam acerrimæ orientur contentiones. quæ provinciæ quamquam in unum corpus Reipublicæ concurrunt : tamen ſtudia partium adeo diſcrepant , ut nunquam altera provincia nativo alterius Regi ſe ſubjectura eſſet, experientia demonſtrante, etſi Sigiſmundus Auguſtus Rex eas provincias in cunctis æquiparavit,tamen in omni decreto publico Lituanos vel diſſentire, vel petere conditionem apponi , qua dignoſcatur , Polonicam Rempublicam nihil juris in eos habere. Quod manifeſte deprehenſum eſt , præter cætera exempla, cum ſexto abhinc anno tribunal ſupremum erectum fuit ob judicia in tertia inſtantia ; cui tribunali noluerunt Lituani ſubeſſe , ut majorem libertatem ſibi retinerent. Altera conſideratio eſt factionum , quæ vigent hodie in regno, quarum ſuperius mentio facta eſt : nam Eccleſiaſtici & Catholici nunquam conſentirent, ut eligeretur , niſi qui Catholicæ veræque religionis acerrimus eſſet defenſor : in quem ſchiſmatici & hæretici nunquam conſentirent , ne eum Regem haberent , à quo non niſi perſecutiones & depreſſiones expectare poſſent : hæreticum vero ſui ſimilem non auderent proponere,vel ſi proponerent, ob re-

ob regni conſtitutiones,& ob jam dictas rationes ab ipſis hæreticis, nedum à Catholicis, reprobaretur, verum contrariæ factiones,quę aliis de cauſis inter nobiles illos foventur, conſilio huic de eligendo Piaſto obniterentur; utraque enim pars merito ſuſpicaretur,ne ejuſmodi Piaſtus Rex alteri faveret, alteram deprimeret: quod ſi neutralis aliquis reperiretur, qui regimini aptus alias eſſet, hic difficilius adhuc approbaretur,quia cũ neutra pars illum in vita privata faventem habuerit, timerent ſinguli, illum adverſarium experiri, cum ſceptro potiretur. Denique ſi omnes hi reſpectus ceſſarent, & Piaſtum nihilominus vellent eligere,etſi veriſimile eſt, Poloniam plurimos habere imperio dignos cives, tamen non video, quo pacto aliquis inveniri poſſet, qui communi deſiderio reſponſurus, & rex eligendus eſſet; maxime cum Palatinus Podoliæ Mieleztey,in quo ſingulares vereque regiæ dotes conſpiciebantur, vita functus ſit. Verum ſi forte ea Reſpublica Piaſtum optare omnino vellet, infraſcripti,ut puto,præcipui erunt candidati.

Dux Conſtantinus Oſtrochii Palatinus Kievienſis, vel Ioannes filius ejus natu major Voliniæ Palatinus.

Dux Simon,ſive Dux Alexander Slutzenſis.

Alter

Alter fratrum Cardinalis Radzivili, qui Duces ſunt Olicæ.

Saguricus, Palatinus Poſnaniæ.

Latſchi, Palatinus Siradiæ.

Tencinius, Palatinus Cracovienſis.

Zamoſcius, Caſtellanus Becenſis.

Andreas Sboroſchi, Curiæ Marſcallus, & Zamoſcius, Regni Cancellarius: ut minoris famæ alios prætermittam, & in regno minus potentes, quemadmodum ibi degens obſervavi.

Quod pertinet ad Ducem Conſtantinum Oſtrochii, duo illum juvant: primo, quia nemo illum in toto regno opibus ac divitiis exſuperat: deinde quia prudentia, ſinceritate, ingenuitate, liberalitate, gratia, ſummaque probitate inſignis habetur. Verum duo illi obſtitura videntur: quod Lituanus ſit; unde Poloni minus ei favebunt, ſicuti neque ii Lituani annuent, qui ad eandem dignitatem adſpirabunt: deinde quod Rutenicæ religioni addictus, & præcipuus ſchiſmaticorum fautor ſit, etſi annis præteritis pollicitus eſt, velle ſe ſchiſma relinquere, ſed tamen Græcam religionem Catholicam ſequi: qua de re literas dederat Gregorio Decimo tertio ſanctæ memoriæ Pontifici, quem obnixe rogabat, ut miniſtros ad illum mitteret, qui præeſſent Seminario, quod ipſe

in ſuis

in ſuis ditionibus erigere inceperat.

Quam rem quamvis effecerit, poſſent Catholici Latini dubitare, ut in Senatu vellet Archimandritis ſuis locum dare, ut religionem illam per totum regnum æqualiter propagaret, veluti modo in Ruſſia & Lituania.

In Ioanne ejus filio hæc exceptio non procedit; nam multis abhinc annis non modo paternum ſchiſma abjuravit, ſed ad Catholicam fidem Latinam transfugit, in qua ſe zelantem ac ferventem oſtendit; præterquam quod Princeps eſt egregiis animi dotibus perornatus, multarum linguarum peritus, ab omni nobilitate ſummopere dilectus: verum hunc patre ſuperſtite Regem electum iri, nequaquam veriſimile eſt. Duces Slutzenſes adhuc valde juvenes ſunt; & quamquam ex Iajellona familia ortum ducunt, tamen ſperandum non eſt, regiam dignitatem in eos collatum iri, quia prodigalitatis immenſæ notantur, & nimium juvenilibus actionibus oblectari creduntur: præterea cum Lituani ſint, credendum eſt, Palatinum Vilnenſem omnem lapidem moturum, ne ad tantam evehantur amplitudinem, quia matrem ipſorum, iiſdem invitis, uxorem duxit: quamobrem maximas lites inter ſe exercuerunt; quæ etſi tranſactæ ſunt,

ſunt, tamen Palatinus ſemper verebitur, ut pravæ in eum voluntatis aliquod adhuc ſemen retineant.

Radzivilii Duces Olicenſes pariter Lituani, etſi Principes ſunt, probitate, ac virtutum meritis inſignes, nihilominus adverſarii eorum inde obſiſtendi anſam capient, quia neſcitur, an Reipublicæ gerendæ idonei exiſtant, maxime cum omnes ſciant, majorem natu, in cujus favorem electio tractanda foret, ne ex Republica negotium ſibi aſſumeret, ſponte ſua & palam ante triennium Vilnenſem Palatinatum propemodum renunciaſſe, permiſiſſeq; contra omnium opinionem & fratris ſui Cardinalis preces, ut ea dignitas ad hæreticum qui modo vivit, deferretur: quæ res non parum nominis illius exiſtimationem denigravit. Cæteri, quos ſuperius nominavimus, Poloni ſunt, in quorum ſingulos haud libenter Lituani conſenſuri videntur.

Palatini Poſnaniæ & Cracoviæ, & Caſtellanus Sendomirienſis, ex tribus toto regno præſtantiſſimis, & nobilitate atque antiquitate claris familiis, præcipui habentur. In alterum illorum tamen magis quam in alios communis hominum favor propendere videtur: tamen in ſingulis quædam adverſatura

creduntur. Ac primum in Palatino Poſnanię vituperatur hęreſis, propter quam Calviniſmo favet, & maximam præ ſe fert animi pervicaciam: in controverſiis etiam, quæ præteritis annis agitabantur, manifeſtum ſe Sboroskorum fautorem adverſus Cancellarium & Regem ipſum exhibuit, eoque magis quia novæ conjurationis reus circumferebatur: fuitque, ut audivi, ad comitia citatus ob hanc cauſam à Rege Stephano. Hic igitur ſi nominaretur, abſque dubio nullos habebit adjutores, præter clientes & aſſeclas ſuos. Idemque accidet Marſchallo Sboroski: nam hiſce duabus nominationibus nemo patrocinabitur, niſi qui adverſus Cancellarium eos pariter tutati ſunt. Horum autem ſtudia & conatus contrariis ſtudiis atque conatibus evertentur: &, Cancellarii partes viribus & pecunia validiores fore, non eſt dubitandum: muneribus enim, artibuſque diverſis, adverſariorum amicos debilitare, & in ſuas partes trahere, non erit difficile; cum præſertim hi nominandi ab opibus deſtituti ſint, erogato fere toto patrimonio, quod quidem ampliſſimum erat, in Rege Stephano ad regnum evocando, (neminem enim potentius ei faviſſe, non ignoramus,) & in perſecutionibus. quas paſſi ſunt poſt Samuelis mortem,

tem, & de læſa majeſtate citationes: adeo ut credendum non ſit, ſupradictos poſſe regale ſolium adipiſci. Verum Tencinius & Tarnonius regno impares videntur: ille, quia reipublicæ gubernandæ imperitus exiſtimatur: hic, quia in prædictis Zamoſcii controverſiis ei nimium favit, etſi cum Sboroskis affinitate junctus eſſet; ex quibus Nobilium animos ab ſe abalienaviſſe videtur. Multo minus credendum eſt, hanc electionem in Palatinum Laski cadere poſſe: puſilli enim animi vir habitus eſt, cum æquo animo tulerit, ut Capitaneatus Lancernenſis ſibi eriperetur, & Fernes Veſſellino, homini Hungaro, humili loco nato, ſed Regi Stephano percharo, conceſſus fuerit; cum tamen omnem Polonicam nobilitatem moleſte ferre, quod alienigena præcipuæ arci præfectus eſſet, non ignoraret: putatur quoque hic Palatinus in ſumptibus faciendis profuſus nimium, omniumque animos adverſum ſe ipſum concitavit, propter immenſum æs alienum, quod, ubicunque peregrinatus eſt, contraxit, aſſerentibus nonnullis, eum decies centena aureorum millia profudiſſe: verum, quod magis obſtabit, illud eſt, quod ſe in cauſa Sboroſkorum examinari voluit contra D. Chriſtophorum: quæ res profecto non

parum magno nomini, quod ſibi in toto regno paraverat, detraxiſſe videtur: Alioquin hic Coronæ illi par eſſet ob egregias, quæ ad illum exornandum concurrunt, dotes, ſanguinis claritatem, ſpeciem dignam imperio, religionem, fortitudinem, in tractandis negotiis peritiam, linguarum notitiam, & in quorumcunque hominum converſatione morum ſuavitatem ſingularem. Quod pertinet ad Firleium Caſtellanum Biecenſem, omnia de eo bona ſperari poſſe videntur, ob virtutes ejus titulis & honoribus quibuſlibet digniſſimas: vir hic quadragenarius vel circiter eſt, nobilitate clarus, religione conſpicuus, virtute nemini ſecundus, vitæ integritate ſingularis, morum humanitate laudabilis, demum ſuis meritis nemini, qui ipſum noverit, non charus. Quod ſi nonnihil eidem videtur obſiſtere, illud tantum eſt, quia ab opibus & reditibus non ita munitus eſt, ut in conventibus provincialibus aſſeclas multos ſuſtinere queat, qui nominationi ſuæ faveant: attamen ſi Reſpublica illa Piaſtum decreverit eligere, neque Lituani, quod ille Polonus ſit, difficultatem interponant, neminem video, qui Firleum hunc regni referendarium antecellat.

Denique quod attinet ad Zamoſcium, mul-

multa non contemnenda animadverti queunt. Quiſquis enim ipſum promovere voluerit, ad illud reſpiciet, quod hic per ſeipſum, quouſque regnavit Stephanus, regnum adminiſtraverit; quandoquidem omnia negotia maxima, ad Reipublicæ regimen pertinentia, cum illo conſultabantur, & Stephanus incredibiliter ejus judicio atque conſilio cuncta deferebat: proinde apud omnes tantam conſecutus erat auctoritatem, ut, etiamſi Rex fuiſſet, majorem adipiſci vix potuiſſet, tantum unuſquiſque favorem gratiamque ipſius ambiebat: quin imo jam videbatur Rex neminem ad publicas dignitates publicoſve reditus nominare, niſi quos ipſe promoveret & proponeret: neque minore quam rex, ſtipatus erat comitatu, ſub prætextu tamen, quod generalis Dux foret exercituum; inque omnibus ſuis actionibus Majeſtatem moreſque regales ſervabat. adeo ut in toto illius reipublicæ corpore alius quidem eligi non poſſet, qui ob negotiorum experientiam, in conſiliis capiendis promptitudinem, apud milites benevolentiam, animique fortitudinem, aptior eſſet. Verum obſtabit illi forſitan, quod ſui regiminis tempore in univerſum nobilibus non ſatisfecerit, ſed potius viros generis antiqui-

tate, opum ſplendore & reipublicæ peritia præſtantes, deprimere curaverit, exaltaverit vero homines viles, incognitos, minimæque virtutis, ſed qui ab ipſius nutu immediate penderent. Quibus artibus etſi illud tantummodo curare poterat, ut ſe in præſenti ſtatu conſervaret, tamen ad altiora quoque eum reſpexiſſe veriſimile eſt, ut ſcilicet clientes ſibi multos aſciſceret, quibus in interregno uteretur: quocirca dubitandum non eſt, quin in convẽtibus provincialibus, cum de Piaſto eligẽdo ageretur, Zamoſcii fautores & numero & ſtudio cæteris ſuperiores futuri ſint. At vero credendum etiam eſt, validiores nonnullos huic obnixe repugnaturos, cum, ne majorem nobilium partem proſtratam videant, tum etiam quia Zamoſcius hic parum fervens Catholicus in quibuſdam occaſionibus agnitus eſt; præſertim cum Rege coram publice conſuluit, Arrianum poſſe legitime, juxta antiquam regni formam præſcriptam, & typis impreſſam, neque unquam mutatam, jurare: quæ res profecto adeo perverſi exempli fuit, ut magnam religionis inobſervantiam indicaverit. Poterunt etiam præter hos plerique Duces, & Domini, vel Poloni, vel Lituani, nominari: verum quia de omnibus diſſerere longum, & forte ſuperva-

pervacaneum foret, præſertim cum haud certa ſpes affulgeat, rempublicam illam id conſilii capturam, ut ex ſuis nobilibus quempiam Regem creet, ſatis erit de his me locutum eſſe, eoque magis, quia ex iis, quæ diximus, facile eſt cauſas intelligere, cur ſinguli ſuas patiuntur difficultates, ſive uni ſive alteri parti in præteritis controverſiis adhæſerint.

Reliquum modo eſt, ut de externis Principibus, qui nominandi putantur, nonnihil diſſeramus. Primo autem induci non poſſum, ut credam, Imperatorem non nominatum iri, ſin minus aliis de cauſis, ſaltem ut ſe ipſos honorent, hoc pacto oſtendentes, ipſum Imperatorem curare, ut ad eam Coronam eligatur, quod profecto toti tractationi exiſtimationem addet, eumque, qui eligetur, honeſtiorem faciet: Verum ita fruſtra, & abſque ſpe ulla adipiſcendi regni eum nominandum eſſe, veriſimile non eſt: nam cum Maximilianum Imp. in præterito interregno nominaviſſent, ſimul decreverunt, ut mihi relatum eſt, ut ipſo defuncto non intelligeretur interregnum eſſe, ſed abſolute ſuccederet Rudolphus ejus filius, qui electus eſt rex Romanorum: proinde cum regnum morte Stephani vacet, qui regni ejuſdem poſſeſſionem cepit, cum tamen ab univerſis

ordinibus vocatus non fuiſſet, (quemadmodum aperte declaraverunt, quo tempore miſerunt in Tranſſylvaniam Roronieſcum EpiſcopumChioricenſem, cum monitis, ne imperatori impedimento vellet eſſe, quin pacificam regni caperet poſſeſſionem,)dicent qui partes Auſtriacas tuebuntur, nullum præ Rudolpho Principem vocandum eſſe, ut illum qui vetus eſſet Rex, niſi Maximilianus præventus fuiſſet in capienda poſſeſſione à Battoreo: & hæc ab iis quoque favorabiliter circumferentur,qui parenti illius minime faverunt, cum quia hic ſincerus eſt, veruſque Catholicus, tum quia familia Sboroſca, olim Auſtriacis adverſa, modo ei vehementer favebit, cum ejus Majeſtas Chriſtophorum ejuſque familiam, in ſuis turbulentiis, quas regnante Stephano paſſus eſt, maxime protexerit, idque magis, poſtquam Cancellarius Zamoſcius tribus abhinc annis juſſit, tanquam Cracovienſis Capitaneus, Samuelem ejus fratrem capite plecti. Ad hæc Palatinus Poſnaniæ adhærebit,qui Sboroskis affinis, & jam, ut audio, cum numeroſo milite armatum ſe obtulit; præterquam quod Reſpublica Cæſaris voluntatem, qua promptiſſime cum tota Polonia compactionis fœdus ſtabilivit, honorifice interpreta-

pretabitur. Ex altera parte de hac electione ſperandum non videtur, quia fama eſt in Polonia, Imperatorem mala valetudine diſtineri: proinde vererentur, hæredes illi defuturos: ad quam rem nobilitas illa plurimum reſpicere videtur, ne in quolibet interregno Principes exteros ad ſceptrum illud emendicare cogerentur: itidem minus ſperarent, promptum illum fore ad belli incommoda perferenda, in quibus regem quoque præſentem eſſe, plurimi faciunt. Præterea dubitandum eſt, ne ii, qui alias parti Auſtriacæ faverunt, ob moram Maximiliani in capienda regni poſſeſſione, quam tanto ſui ſudore procuraverant, refrigerati ſint, mutaverintque ſententiam, cum Auſtriacorum partibus faventes, vice beneficiorum, quæ conſequi ſperabant, de ſtatibus ſuis dejecti, ac reditibus mulctati, demum ſub Rege Stephano pauperati, exules, ac depreſſi fuerint. Ad hæc additur, quod, quemadmodum natio Polonorum ex ſe ipſa erga peregrinos male affecta ſit, & impatiens, ut illuc migrent, ita ægre latura eſſet, ſi Germanos ad ſuas regiones per hanc occaſionem adventantes aſpiceret: nam ſuperbi natura ſunt, & timerentur, ſuperbiores fore, ſi cum auctoritate & tanquam ſuperiores incolerent,

quemadmodum intuitu Imperatoris, qui coronaretur, eos excipere neceſſe eſſet. Hæc omnia, quæ de Rudolpho diſputata ſunt, cuicunque Sereniſſimæ domus Auſtriacæ Principi, qui ad hanc electionem nominari atque evocari poſſet, applicari queunt: non quia non ſint in promptu ii, qui aut Archiduci Carolo, aut Ferdinando ſe devoverint, multoque magis Archiduci Erneſto, tanquam juveni expectationis eximiæ, omnibuſque à Deo iis gratiis ornato, quę illum majoribus titulis ac dignitatibus augere poſſunt; ſed quia in Republica tot capitum atq; civium innumerorum, nihil attendendum eſt, præter id, quod in univerſum animos ad hunc magis quam alium eligendum movebit. proinde quanquam plerique Polonorum egregias Principis hujus dotes admirantur, tamen ea, quæ ſupra memorata ſunt, maximo erunt impedimento, ne eligatur. Quinetiam antipathia, quam Poloni cum Germanis gerunt, poteſt nobis perſuadere nullum alium Germanum Principem in regis locum ſufficiendum eſſe: quamvis veriſſimum eſt, Duces etiam Bavariæ optime meritos eſſe; nemo ſiquidem ignorat, Gulielmi Ducis pietati, fortitudini, atque prudentiæ multiplices deberi coronas ampliores, quam hæc eſt cæteris
in-

inferior. Nam ſi Poloni Principem quærunt fortis atq; invicti animi, Colonienſia bella nuper geſta, ob zelum Chriſti ſuſcepta, omnibus patefecerunt, Ducem hunc fortiſſimum atque invictiſſimum eſſe: Si Catholicum Regem, ſanctæq; Eccleſiæ devotum cupiunt, nuſquam profecto apud Chriſtianos abſolutiorem Principem invenient, cum imperium ſuum undequaque omni hæreſium genere expurgatiſſimum habere velit, dum reliqua Germania cuilibet peſtiferæ ſectę jampridem inſana ſinum ſuum expandit: Si denique juſtum, vigilantem, ſagacem, malunt, ut juſte, prudenter, pacifice regnum gubernetur; equidem fides incontaminata, & obedientia, quam Duci huic vaſalli ſui exhibent, ſapientia, qua hoſtilia arma procul amovet, & tranquillitas, qua ejus populi inter ſe fruuntur, ſatis declarant, à Polonis præ iſto juſtiorem, prudentiorem, ſagaciorem Regem eligi poſſe neminem: quem præterea tot aliæ dotes animi ac fortunæ exornant, generoſitas, affabilitas, nobilitas, generis antiquitas, uti neminem latet. Prætermiſſis igitur Germaniæ Principibus, ad filium Svveciæ Regis natu majorem devenio, quem ajunt ad hanc Coronam facili negotio electum iri, equidem rationibus ducti probabilibus,

quem-

quemadmodum anno præterito peculiari ſcriptura Ruſticuccio Cardinali tradita, in qua ſtatum Eccleſiæ Polonicæ referebam, demonſtravi. Potiſſima ratio videtur eſſe, quia unicus ramus videtur ille eſſe, ſuperſtes ex ſtirpe Iajellonica: mater enim ipſius filia fuit Sigiſmundi Auguſti, & Annæ præſentis Reginæ Poloniæ. imo intuitu avi materni, atque avunculi, ipſe quoque Sigiſmundus nuncupatur. videturque tota Polonorũ Nobilitas erga Sereniſſimam illam familiam benevole affecta eſſe, cum ex hac paucorum annorum curriculo fortiſſimi ac celeberrimi Principes prodierint. huncque Regis Succorum filium propenſis & pronis in eum animis nunquam non commemorat: quandoquidem ſicuti ſexcentorum annorum ſpatio Piaſtæ familiæ ſuperſtiti ſceptrum perpetuo delatum eſt, etſi aliquando minus idonei Principes ſucceſſerint; ſic arguunt, Principem hunc vocandum eſſe, tanquam Regum Iajelloniorum veram propaginem, á quibus quouſque linea regno habilis duravit, maluerunt ſemper gubernari, etſi hic materna tantum linea ex illo trunco deſcendit. ideoque magis amplectendus eſt, quia præter ſpem, quæ de ipſius egregia indole, & ad regendos populos aptitudine, animis

mis hominum inſedit, certo ſcimus, etſi ortum ex parente hæretico, educatumque ubi multo plures hæretici quam Catholici degunt, tamen ipſum maternam Religionem ſemper coluiſſe, & primis ab annis patre invito Catholicos ritus prætuliſſe, & creſcente ætate in virtute pietatis & Chriſtianæ Religionis ſtudio, flagrantiorem fuiſſe, & apud ſe viros divino ſpiritu & ſanctitate claros ſemper habere voluiſſe; quæ profecto res miraculoſæ cujuſdam illuminationis argumentum præbét.

Quocirca ſperandum eſt, Deum gratia ſua ſubtraxiſſe illum, & integrum ſervaſſe ex tot ſuggeſtionum ſtimulis, quibus quotidie ad veritatem deſerendam impellebatur, ob magna Reipublicæ Chriſtianæ momenta, magnamque ſeptentrionalium illarum gentium utilitatem. Sed ultra Religionem affulget etiam certa ſpes, eum Regno, licet ampliſſimo, gubernando non imparem futurum, quod auditur, in hac prima juventa, contemptis ætati conſuetis omnibus voluptatibus, multam regni paterni portionem ab ſe regi, & libere gubernari, tanta cum majeſtate ac providentia, ut omnium admirationem & benevolentiam ſibi conciliaverit. quocirca mirandum non erit, ſi Poloni ſimiliter illum

regno

regno moderando aptum arbitrabuntur, eoque magis, quia cum in primævo flore adoleſcentiæ conſtitutus ſit, libenter occaſionem arripient, qua certus Senatorum numerus illi aſſiſtat, ut dicetur inferius.

Ad haſce conſiderationes plurimæ alię adduntur, quę regni conſtitutionibus efficaciores ſunt: quarum prima in mentionem antea incidit, nempe Regem Sueciæ ſæpe dixiſſe, Magnum Ducatum Lituaniæ, itemque Livoniam, magis ad ſeipſum, quam ad quenquam alium Principem, qui ad illud Regnum eligi poſſit, & magis etiam quam ad ipſam rempublicam, pertinere: nam Lituania, inquit ipſe, familiæ Iajelloniæ hæreditaria eſt, ex qua familia hodie nemo ſuperſtes eſt præter ejus filium Sigiſmundum: Livonia autem Sigiſmundo Iajellonio reſignata & conceſſa fuit, non ut Poloniæ regi, ſed ut Magno Duci Lituaniæ; hacque de cauſa præteritis annis, inquit, Moſcho ſe bellum moviſſe, quo tempore in Livonia portum Naricenſem & quaſdam præcipuas arces occupavit, quas Stephano Regi nunquam cedere voluerat, etſi Moſchus in conditionibus pacis omnia jura, quæ in ea provincia habebat, renuntiavit; adeo ut etiamſi Suecorum Rex à Polonis hacte-

nus

nus has ditiones vindicare diſtulit, non, ideo aſſerendum eſt, ei defuiſſe voluntatem, ſed, imo opportunum tempus expectaviſſe, ac fortaſſe, quouſque Anna regina Poloniæ, quam concedit iiſdem juribus niti, vita excedat: vel credi magis poteſt, noluiſſe Polonorum animos exacerbare, ut interregno ſuperveniente, quemadmodum nunc inſtat, libentius ad filium Corona munerandum inclinent, & hoc pacto omnes differentiæ ſive controverſiæ tranſigerentur, utque eos quodammodo in metu contineat, ne, ſi alium optaverint Regem, bellum graviſſimum atque acerrimum ſubituri ſint. Neque fortaſſe alio ſcopo partem illam Livoniæ occupavit, quam ut reliquam aliquando vindicaturus videatur, niſi dicta electio ſucceſſerit. Ex quibus facile credendum eſt, Rempublicam illam Principem Sigiſmundum advocaturam, tantoque magis, quia diſſolvetur æs, quo Reſpublica Regi obſtricta eſt, cum ob dotem Eliſabethæ ejus uxoris, tum ob aliam pecuniam Sigiſmundo Auguſto, ut innui ſuperius, mutuo conceſſam. Altera conſideratio quam attendent Poloni in hoc Principe eligendo, ea erit, quod ſuis provinciis magnum illud Svveciæ regnum adjungent: ejus enim Sigiſmundus jam deſignatus & à

popu-

populis juratus Rex eſt, & cum eodem regno per mare Balticum finitimi quodammodo ſibi videntur eſſe: ſicq; olim magnum Ducatum Lituaniæ iidem Poloni acquiſiverunt. verum etſi hæc incorporatio, ſive regnorum unio, effici non poſſet, ſaltem hoc Sigiſmundo & natis ipſius regnantibus poterunt vires communi defenſioni, hoſtiumque offenſæ, conſociare, quemadmodum per multos annos cum eodem magno Duce Lituaniæ effectum eſſe conſtat. Tertia conſideratio erit, quia Polonicum regnum, licet equitatu polleat, nunquam ex ſe ipſo claſſes inſtruxit, aut ad illas inſtruendas accommodatum eſt: at Svetiæ regnum ingentem navium numerum armare poteſt, ſicuti in bello Moſchovitico perſpectum eſt. Quapropter ſi unus Princeps duobus adeo potentibus regnis imperitaverit, nulla tam difficilis eſſet expeditio, quam recte ſuſcipere, ac feliciter perficere non poſſet, maritimis viribus terreſtres copias adjungendo. Et hæc conſideratio tanti videtur eſſe momenti, ut non ſolum Poloni in hanc electionem conſenſuri, ſed etiam omnes Chriſtiani Principes, quorum non intererſit, eam deſideraturi ſint: nam ſi fœdus iciendum fuerit, vel bellum aliquod Turcis communibus hoſti-

bus

bus inferendum, illius regis opes maximo eſſent auxilio,&ex ſeipſis fortaſſè hoſtem repellere, imo oppugnare poſſent, ſicuti ex iis, quæ in allegata Relatione memoravi, perſuaderi poſſumus. Ad hęc adnectendum, quod cum Poloni adverſus Moſchos innatum quoddam gerant odium, pergrata ſibi accidet hæc virium conjunctio, ut ſimul illam potentiam debellent, quæ jam titulo magni Draconis Septentrionalis appellabatur, eoque magis, quia Suecia ſimiliter adverſus eam nationem barbaram flagrat odio: proinde ſperabunt Poloni, ſua non modo recuperare, ſed omnem fere Septentrionis oram ſubjugare. Quarta & ultima conſideratio erit, ut minoris cæteras momenti prætermittam, quod unam magis quam alteram factionum partem depreſſurus, vel exaltaturus ſit: nam quod ſpectat ad religionem, omnino operam dabunt, ut Battorei Regis ſucceſſor Catholicus ſit, ac præterea ne contrariæ ſectæ homines deprimat: quod hic multo minus quam cæteri efficiet: patrem enim adhuc habet hæreticum, aſſuetuſque jam eſt hæreticos populos regere, in quibus exterminandis non elaborat; Catholici vero, qui paucis exceptis in propaganda religione non admodum effervefcunt, gaudebunt,

eum eſſe vere Catholicum, ſimulque oblectabuntur, quod religionis gratia civile bellum non ſit excitaturus: ad quam rem, tanquam ad ſcopum, reſpiciunt Senatores, atque etiam Eccleſiaſtici ipſi. Quod pertinet ad præſentes nobilium factiones, anteactis temporibus Svvetiæ Rex ejuſmodi ſagacitatem præ ſe tulit, ut nunquam alterutri parti magis favere voluerit, multoque minus id effecit Princeps Sigiſmundus: adeo ut utrique ipſum propitium habituri ſint. Quamobrem ſi unanimes ipſum elegerint, ac ſtudiorum promptitudinem exhibuerint, duæ tantummodo res nonnullam pariturae ſunt difficultatem, ac forſitan negotii totius effectum impeditur æ.

Prima difficultas erit ipſius juvenis ætas, quæ ut refertur, annum vigeſimum non excedit: proinde vix convenire videtur, ut in regio, tantæque majeſtatis & eminentiæ ſolio, judicaturus criminalia atque civilia negotia, conſideat is, qui ſaltem propter graviorem ætatem, magna rerum tam privatarum quam publicarum experientia non polleat. Quæ difficultas augebitur, quia adhuc ſub patria poteſtate degit. Qua de cauſa oborietur ſuſpicio, ut pater ipſe Reipublicæ clavum teneat;

aut

aut ſaltem in animis nobilium injiciet id ſcrupuli, ut nolint ab eo, qui ſui juris non eſt, gubernari. Ex altera parte veriſimile eſt, hanc ætatis exceptionem huic promotioni profuturam: nam inde anſam accipient legem illam exequendi; quam tempore Henrici Regis conſtituerunt: ut ſcilicet in aula regia ſex ad minimum Senatores Regi adſiſtant, qui, nunquam ipſis inconſultis, regiam poſſit auctoritatem exercere. Et hæc eadem lex regnante Stephano obſervanda fuerat, ſed ipſe tanta calliditate uti ſcivit, ut nunquam ſuo tempore fuerit in uſu: qua de re non injucundus accedet fortaſſe prætextus hic adolo leſcentiæ, ut eandem legem inſtaurent & exequantur: hoc enim pacto ab omni tyrannidis & injuſtitiæ ſuſpicione ſibi exempti videbuntur: præterquam quod ipſius fautores exaggerabunt, non decere, adoleſcentem Regem & ſub patria poteſtate conſtitutum adſciſcere, quoties in ipſo regiarum virtutum & robuſti ingenii ſemina atque argumenta apparent & eluceſcunt; ad quam rem confirmandam exemplorum & rationum cumulus facile ſuppeditabitur.

Altera difficultas, eaque major, erit, quod major illorũ ſenatorum nobilium-

que pars, quæ alios Principes externos protegendos & nominandos ſuſceperint, iiſdemque ſeſe jam addixerint; obſerabit aures, rejicietque hunc & alios hujuſmodi, addito ſimul cumulo earum objectionum, quæ tempus & occaſio ſuppetet.

Tertia, cæteris omnibus vehementior eſt, quod illa nobilitas non admodum libenter Principem, cui magnum imperium ſubjacet, ad regimen ſui vocare conſuevit: ſiquidem timet, ne aliquando ad ſubjugandos illos populos animum intendat, omnemque illis eripiat libertatem: adeo ut reſpectus ille, quem profuturum conſiderabamus, poſſit in contrarium non inutiliter adduci: verum ſi, quæ ſuperius narravimus, prævaluerint, ea ſpe ducor, ut hæc electio fauſtum atque honeſtiſſimum exitum ſortitura ſit.

Iam de Nepotibus mortui regis nonnihil dicendum eſt: de quibus profecto mentio primo loco facienda videbatur, eo quod ipſi de more patrimonialium regnorum veri ſucceſſores exiſtant: quoniam vero haud ſcio, quonam pacto inter ipſos concordes futuri ſint, ut eorũ unus tantum nominetur, ne ſe invicem præpediant, cogor in univerſum de iiſdem primo agere, mox nominatim ipſos

in

in medium afferam. Igitur ſi majorum conſuetudinem reſpicere voluerint, probabile eſt, neminem familiæ Batoreæ in electione propoſituros. Primum ut morem hunc non modo Sarmatiæ, ſed cuilibet genti Chriſtianæ aut barbaræ ſalutarem ſartum tectum conſervent, ut ſcilicet ad regnorum ſucceſſionem ii vocentur, qui bonorum patrimonialium ex legibus non ſolum municipalibus, ſed naturæ & Chriſtianis etiam inſtitutis legirimi ſucceſſores exiſtunt. Secundo hos eligere debebunt propter merita Stephani Regis, qui regnum illud citra omnem reprehenſionem gubernavit, & in omni actione, præſertim in bello, provinciis devictis & publicis privatiſque negotiis recte adminiſtratis, Polonici nominis amplificandi ſummam prætulit cupiditatem: quocirca cum exiſtimandum ſit, ejuſdem voluntatis fore illos, quoſcunq; ex illa familia advocabunt, par eſt, occaſionem hanc à Polonis prætermiſſum non iri, ut eam beneficiorum memoriam, quæ civilem & Chriſtianam Rempublicam decet, ſe retinere demonſtrent. Tertio valde credibile eſt, Senatores Nobileſque illius regni, quos majori ex parte Stephanus opibus & publicis dignitatibus auxit, propenſis animis fauturos regis benefactoris ſui conſanguineis.

guineis. Quarto Nepotem Stephani facile promoturi videntur, timentes, ne ſi alter ſuccederet, ipſi gradibus & prærogativis ſuis priventur, aſſumptis ad Regni miniſterium novis hominibus. Quæ quidem res maximi erit momenti: hoc enim numero præſtantiores proceres ac Senatores comprehenduntur. Veluti Gneſnenſis Archiepiſcopus, qui ad illam dignitatem à Stephano evectus fuit, cum prius Epiſcopus Cuiavienſis eſſet, etſi Archiepiſcopatui illi deſignatus eſſet à duobus anteceſſoribus Regibus coadjutor Kiernkoſtius, quocum poſtea litigia acerrima agitata fuere, ex quibus regio favore ſeſe ille ſemper extricavit. Epiſcopus Cracovienſis, qui antea Epiſcopatum Plocenſem obtinebat, à Stephano pariter evectus eſt. Demum, quis neſcit, omnes fere dignitates Senatorias novem annorum ſpatio, quibus regnavit Stephanus, vacaviſſe, & ab eo diſtributas fuiſſe? Proinde eas arbitratu ſuo conferendo atque diſtribuendo multorum ſtudia ſibi conciliare, & quaſi clientes ſuos efficere potuit, qui tanquam optimum patrimonium ſuperſtites nepotibus in hæreditatem venient. Verum inter cæteros Zamoſcius Cancellarius, quomodo tantas conſecutus eſt divitias & nominis exiſtimationem, niſi propter ſin-

ſingularem benevolentiam atque gratiam, qua apud illum glorioſæ memoriæ Regem fruebatur? idcirco iniquitatis notam ſubiret vel maximæ, & vix homo appellari mereretur, niſi ad Battoreum aliquem eligendum anteſignanum præcipuumque fautorem ſeſe præſtaret; neque modo auctoritatem ſuam & amicorum, ſed etiam rem totam, & ſanguinem, vitamque ipſam, exponeret; ſin minus, ut grati animi ſignificationem repræſentet, ac ſaltem ut fortunas ſuas omnemque ſtatum in tuto collocet: & quia uxorem habet ex familia Battorea Tranſſylvani Principis ſororem. Quinto, communiter putant omnes, Stephanum variis temporibus ingentem auri vim accumulaviſſe, eamq; in Tranſſylvaniam tranſmiſiſſe: cujus ope modo qui regnum capere procurabit, amicos & fautores ſibi conciliabit, qui in conventibus provincialibus nomen ejus provehent, omnemque artem & induſtriam adhibebunt, quo eligatur: quę renegotium maxime juvabit, quippe in generalibus comitiis cuilibet nominationi adverſabuntur, ut candidatum ſuum intrudant. Sexto multum feret momenti illud, quod hæc ſola familia Turcarum Imperatoris patrocinium habitura eſt, qui ſuos ad Comitia legatos mittet non

ſolum ob eaſdem cauſas, quibus Stephani electioni favit, ſed etiam, quia dum ipſe regnavit, bonamq; amicitiam ejuſdem expertus eſt: ſalva enim exiſtimatione & majeſtate Regis Chriſtiani & Catholici Stephanus omnibus Turcam officiis proſecutus eſt. Quantum autem huic familiæ id profuturum ſit, unuſquiſque diſpicere poteſt, cum ex iis, quæ duobus præteritis interregnis cognita ſunt, tum quia compertum eſt, Rempublicam illam nihil poſthabere, quo tyranni illius amicitiam colat, utpote cujus vires adeo ipſi formidabiles ſunt, ut Turcico mandato capite plexus fuerit Palatinus Podolienſis, vir animi fortitudine, ingeniique perſpicacia celebris, eodemque modo ſecuri percuſſi fuere triginta præcipui Coſachi, utque ne hoſtilia arma exſuſcitarent, patienter habita eſt occiſio Podlodeſchii, & trium ſupra triginta ejus familiarium, qui omnes nobiles erant Poloni, quemadmodum in regno tunc circumferebatur: Verum ſi Reſpublica illa hoſtem, qui Perſico bello diſtinebatur, verita, omnibuſque obſequiis pacatum habere conata eſt, quid per hæc tempora, cum pax ſtabilita eſt, effecturam putabimus? Deniq; ex Batoreis unum electū iri, opinor, quia Regem corona illa prorſus dignum futurum ſibi augu-

augurari poſſunt. Ad quam rem probandam neceſſe eſt, de ſingulis, qui huic dignitati pares, diſſerere.

Præcipue tota Italia ſatis edocta eſt, quibus meritis præcellat Andreas Battoreus Cardinalis S.Hadriani; & quo pacto ſe titulis ac ſceptris dignum præſtiterit, non ignorat Polonia, ubi à teneris unguiculis educatus fuit. Sed ſi forte huic placuerit vocationem ſuam proſequi, Deique Eccleſiæ adjumento eſſe, vitam ſervando Eccleſiaſticam & ſalutem quærendo miſerarum atque infelicium illarum animarum, quæ in Tranſſylvania patria ſua degunt, in qua Rex Stephanus illius patruus Epiſcopatum erigere, ejuſque adminiſtrationem tradere nepoti cupiebat: poſſent ad regnum vocare Baldaſſarem fratrem, cujus virtus & probitas multis terrarum partibus innotuit; ad illas enim peregrinatus eſt, ut mores variarum gentium, atque idiomata apprehenderet: ſed ipſius virtus ſatis etiam claruit, cum bello Moſchovitico, etſi adoleſcens valde, ita fortiter ſe geſſit, ut poſt mortem Becheſii Dux Generalis Hungarorum militum delectus fuerit. Poſt hos ſequitur Stephanus patruelis ipſorum, qui cum nomine patrui virtutes etiam refert, eique ſeſe quam ſimillimum exhibet. Verum ſi duo hi mi-

nime reſponderét oneri regio, quod privatam ſemper vixerintvitam, neq; decere videretur, principes tam parvi imperii ad tantum regnum accerſere, reliquus eſt præſens Tranſſylvaniæ princeps, triũ, quos nominavi, dominorum patruelis, & frater uxoris Zamoſcii Cancellarii, & Polonicorum exercituum Generalis. Hic in publicis negotiis, arduiſque rebus, indolem excelſam adeo præ ſe fert, ut in puerili ætate mira ſit tanta ſapientia, & ad graviſſimas quaſque tractationes tam habilis diſpoſitio, ſicuti omnium bonorum, qui ex illis partibus adveniunt, voces conſentiunt; ætas vero adhuc acerba, quæ objicitur ex iis, quæ attuli ſuperius de Principe Sueciæ, illum fortaſſe tanto magis adjuvabit.

Objectiones vero, ſive exceptiones, quæ Principibus hiſce ex familia Battorea obſtituræ creduntur, duæ præcipuæ ſunt. Prima eaque omnium graviſſima eſt, quia Hungarica natio Polonorum animos adeo irritavit, ſibique infeſtos reddidit, ut omnia emolumenta, quæ ex quolibet dictorum principum colligi queunt, contempturi eſſe videantur potius, quam Hungaros in poſterum admittere: nam juſtum Stephani regimen, ut putant, abunde compenſabatur à jactura, quam in toleranda Hungaricæ mili-

militiæ inſolentia perpeſſi ſunt : proinde multum ſibi lucrifacere videbuntur, ſi hoc incommodo ſubleventur. Altera erit, quia Sboroſca familia extrema pati malet, quam in eodem ſolio ſedentem videre unum ex ea gente, à qua modis ingratiſſimis ſe perculſam atque proſtratam putat, cum ne recenti flagello ſe exponat, tum ne in eadem auctoritate atque amplitudine perſeverantem videat Cancellarium Zamoſcium, quem Vatiniano odio proſequitur, & profitetur, fontem ac principium fuiſſe omnium calamitatum, ab eo Samuelem ſecuri percuſſum abſque auctoritate ſufficiente, cum ille ſe obtulerit ſub fide publica, quod in carcerem detruſus non fuiſſet. Putant nonnulli, non ab re eſſe, ut Dux Guiſius nominetur, non ſine ſpe felicis eventus : alii Ducem Humenæ, vel alium Galliæ Principem ſubſtituunt. Hos duo adjuvare poſſent : ſi modo Rex Chriſtianiſſimus aſſentiretur. Primum quod Turcarum opem facile impetrarent, utpote qui Gallicæ Coronæ amicitiam plurimi faciunt. Alterum eſt, quia ſi Poloni aliquem Chriſtianiſſimo Regi gratum Principem eligerent, deponeret ille titulum regis Poloniæ, quem adhuc uſurpat: qua de re libenter electuri videntur, quemcunque ipſe proponet, eoq; magis,

quia

quia Poloni cum Gallis naturæ inſtinctu recte invicem conveniunt, ut conjicere eſt ex genere veſtium, & moribus quos libenter à Gallis mutuantur. Præterea dux Guiſius habetur princeps regnandi gnarus & belli experiens. quas virtutes in eo, qui Rempublicam illam recturus ſit, Poloni maxime requirunt. Verum difficultas, quam forte Chriſtianiſſimus Rex interponet, hujus rei tractationem moratura videtur, prȩſertim in tanto locorum intervallo, & quia celeritas electionis plurima removebit diſcrimina quæ moram allatura eſſent. Non deſunt, qui plurimam habitum iri rationem putant Ducis Ferrariæ, tum quia nationis Polonæ ſtudioſiſſimus eſt, eique cuncta humanitatis officia cunctis temporibus præſtitit, tum quia in plurimis vigebit adhuc memoria, in præterito interregno de ipſo actitatum fuiſſe: verum rem alio caſu jam verendum eſt, quia princeps hic caret liberis. cumque alias magno applauſu nominatus fuerit: tantam apud æmulos ſuſpicionem forte excitavit, ut hanc etiam nominationem infringere curaturi ſint. Demum Dux Parmenſis Generalis exercituum Catholicorum in Flandria tantam nominis celebritatem conſecutus eſt, ut omnino quibuſdam honorificentiſſime nominādus videatur,

maxi-

maximamque adeſſe ſpem felicis electionis, quandoquidem in eo bello tam clarus evaſit, ut nullam Regis virtutem Poloni deſideraturi ſint, quin in hoc principe abunde conſpiciatur: de quo pauca dicenda mihi ſunt, quia nimis manifeſta exiſtunt orbi terrarum ipſius merita: ſed eam Rempublicam huic electioni conſenſuram ſperandum eſt etiam, propter maxima beneficia, & quotidianæ benignitatis officia, quæ nobilitas Polonorum à Cardinale Farneſio ipſorum protectore ampliſſimo conſecuta eſt: Hæc autem à plurimis Senatoribus, cæteriſque primoribus, qui ob privatas cauſas, atque etiam propter legationum munera in Italiam deſcenderunt, & beneficiis affecti ſunt, exponentur juſta ſerie, & abſque dubio celebrabuntur. Adeo, ut & propter hæc officia, & propter præclaras principis illius virtutes, dicendum eſſe videatur, omnino ipſum electum iri, niſi tamen æmulatores impediant; utpote qui lividis oculis alienam virtutem ſanctoſque labores debito prę-mio affici patiuntur; vel niſi exiſtimetur princeps ille longe utilior iis bellis terminandis, in quibus agitur de totius Chriſtiani populi tranquillitate, deque ſanctæ Eccleſię laude & gloria. Reliquum modo eſſet de Principibus illis hæreticis

referre

referre, qui aliquo argumento eligendi videntur. Quod avertat divina miſeratio, ne populi illi tanto flagello afficiantur; neque profecto perſuaderi queo, fore unquam, ut Reſpublica illa turpiter adeo à divina obedientia ſe ſubtractura ſit, cum propter memorata argumenta, tum quia de Religione alio loco ſatis relatum eſt. Nihilominus, ut huic diſſertationi finem imponam, illud adjungam, non defore, qui ſuggeſtione diabolica regem cupient ejuſmodi, qui Religionem Catholicam ad nihilum redigat; ideo potiſſimum veriſimile eſſe, nominatum iri ducem Saxoniæ, adoleſcentem ſex & viginti circiter annos agentem, utque audimus, propenſum valde ad Calviniſmum ampliandum, Lutheranos vero contra patris decreta manifeſte perſequentem; curabuntque ipſius fautores gratiam & auctoritatem ipſi conciliare ob duas auri, unam argenti fodinam, quas poſſidet, & quia armis, viriſque & congeſtis theſauris plurimum valet, invaluitque rumor, centum hominum millia uno momento eum poſſe armis inſtruere, iiſque annuum ſtipendium erogare. certum tamen eſt, eum moribus inſtabilem eſſe, ut ex mutatione ſectarum & ex ſuo à Lutheraniſmo ad Calviniſmum transfugio liquido conſtat,

ſtat, multoque clarius ex pollicitatione, quam Ducibus Bavariæ fecit, quo tempore in ultimis Auguſtanis Comitiis profeſſus eſt, velle ſe hæreſes abjurare, & Catholicos ritus ſuſcipere. Sed cum iidem Duces peterent, ut promiſſa præſtaret, excuſavit, ſe non populos ſuos contriſtari, & nihilominus cum ipſis contendit, quia Calvini inſtituta ſequi recuſant. Alii forte Regem Daniæ proponent, ut imperium illud finitimum regno uniatur, utque tumultus, qui inter ipſum & Rempublicam ob ditionem, quæ in Livonia ad Ducem Magnum Regis fratrem ſpectabat, excitati fuerant, componantur. Aliqui Marchionem Brandeburgenſem in medium afferent, qui ſemper ſe amicum profeſſus eſt, & arbitrum ſe voluit conſtituere inter Rempublicam, & Regem Daniæ, itemque inter Ducem Brunſvicenſem ob gemmas quaſdam, quæ ad Regnum pertinent, quas ipſe cum proteſtationibus quibuſdam poſſidet. Alii fortaſſe prætenſum ducem Pruſſiæ nominabunt: ſed parva ſpe, cum mente captus ab omnibus habeatur. Alii Palatinum Rheni Electorem, alioſque ſimiliter hæreticos Principes. Verum devotæ preces, quas Catholica Eccleſia effundet ad Deum, ut hujus electionis exitum fortunet,

pro-

proſperetque, non permittent, ut tanto cum detrimento Chriſtianæ pietatis aliquid ſcandali in populis illis innovetur, imo efficient, ut ejuſmodi Princeps eligatur, cujus charitate Religio Catholica ad priſtinum illum candorem reſtituatur, inq uo plurimis ſeculis conſervata eſt. Idque omnipotens Deus annuere, & ſecundare non dedignetur.

EX HONORIO,

De

NOVO IN POLONIA REGE ELIGENDO

ALIA DISSERTATIO,

anno 1587 perſcripta.

NAtionis Polonicæ ſtudia & voluntates adeo mobiles ſunt, & privatis utilitatibus ducuntur, ut futurarum ejus actionum difficile judicium exiſtat: nihilominus tamen, ut Amplitudinis Veſtræ mandatis obtemperem, dum jubet, ut, de novo eligendo Rege Polonorum quid ego ſentiam, in ſcriptis referam, libenter ea, quæ ingenii mei imbecillitas, & nonnulla earum partium, in quibus aliquot me annis detinui, cognitio ſuppetent, communicabo. Regnum Poloniæ, ut nemo neſcit, electivũ eſt,

eſt, non hæreditarium, & reges eliguntur, non ut tanquam regnum & abſolutam exerceant auctoritatem, ſed tanquam civilia Reipublicæ capita, ſimul cum Senatu de pace, de bello, de rebus arduis, ac delictis nobilium conjunctim decernant. Senatus abſque nobilium interventu atque conſenſu eligere non poteſt: Nobiles vero, cum aliquis ex nova ſtirpe Rex inducendus eſt, ad Comitia in armis conſiſtunt, perinde ut conſueverant prætoriæ cohortes in acclamandis Imperatoribus Romanis: Eo loco jus in armis, & juxta libitum ipſorum Rex eligitur; & quiſquis eligi cupit, ei nobilitatis magis, quam Senatorum favor & gratia aucupanda eſt. Plerique ſunt candidati, Principes, qui in præſenti in interregno proponuntur: verũ quia celebriores ſunt Dux Parmenſis, Archidux Erneſtus Auſtriæ, Vaivoda Tranſilvaniæ, vel ejus cognatus Cardinalis Battoræus, & Princeps Succiæ; de his meam ſententiam declarabo, omittamque indigenas Nobiles, quos Piaſtos nuncupant, ſiquidem inaniter credi puto, fore, ut Polonica capita conſenſura ſint ad unum ex ſe ipſis promovendum, cui cætera omnia natura æqualia ſubſint & obediant: quod à ſexcentis annis nunquam accidit, poſt electum ſcilicet Piaſtum illum

primum hominem ſordido genere natum, quo tempore Reſpublica nondum leges, quibus utitur, conſtabiliverat, & populorum ingenia moreſque plurimum à præſentibus diſcrepabant.

Si ætatem, prudentiam, virtutem militarem Ducis Parmenſis reſpexerimus, nulla adverſus illum exceptio timenda videtur, cùm jam provectæ ætatis, rerum humanarum experientiſſimus, & noſtro ſeculo præclarus exiſtat Imperator, materno genere Auſtriacam ſtirpem referens, quæ in eo Senatu plurimum pollet, ex domo Farneſia, & Farneſii Cardinalis Polonici Regni apud Sedem Apoſtolicam Protectoris nepos: à quo Cardinale Poloni publice & privatim in Italia eximios honores & plurima benevolentiæ argumenta retulerunt: neque deficit illum pecunia, cujus ope apud Nobilitatem gratioſus fiat, ſi tamen homines habuerit virtute atque eloquentia inſignes, qui in Polonia cauſam ſuam tueantur: hæ quidem omnes dotes ſunt, quæ magnum rei momentum ad eam Coronam conſequendam afferre deberent.

Verum plurima, neque minoris conſiderationis eidem obſtitura eſſe videntur. Primo quidem origo Italica nihil

ipſum

ipſum adjuvabit. nam tametſi proceres Poloni, qui Italiam aliquando inviſerunt, moreſque Italicos obſervarunt, noſtram videntur nationem diligere: tamen in univerſum nihil minus cõvenit, imo illic noſtra gens abhorretur, eſtque in abominatione, ſcilicet Italos aſtutos, & fraudulenti ingenii homines putant. Mallent ipſi Regem, qui natura & aſſuetudine mores regionis amplecteretur, ac ſecum familiaritate quadam verſaretur, quam in Principe Italo minime ſperarent ſe comperturos, multo minus in Duce Parmenſi, qui inter Hiſpanos in exercitibus educatus eſt, in quibus ſuprema ſemper auctoritate imperavit: quocirca propter ejus magnitudinem animi dubitarent ſemper, ut contemptis ipſorum legibus, animum ad opprimendam Rempublicam converteret: quin etiam Stephani Regis exemplum, qui ſuperbius imperitavit, eoſq; ad humilitatem animorum coegit, circumſpectiores ipſos efficiet in futura electione. Præterea cum Reſpublica illa Turcicum bellum valde abhorrenter evitet, rebus præteritis edocta, cavebit in poſterum, juſtamq; timoris occaſionem habere ſibi videbitur, ne Dux Parmæ ob affinitatem atque clientelam, quæ ſibi eſt cum Rege Hiſpaniarum, ipſius

Ee 2 intui-

intuitu bellum excitet adverſus Turcas, quod poſtea extinguere opus arduum ſit. Et quanquam Reges, vigore legum, abſque Senatu & nobilitatis aſſenſu, in publicis Comitiis, neque de pace, neque de bello quidquam poſſunt decernere; tamen prudens aliquis Rex occaſionem aperire facile poteſt, qua ſe extra culpam poneret, ſuamque libidinem ſimul exequeretur: & profecto ſi Coſaccis frenum paulisper laxaret, nedum eos inſtigaret, cum ii naturales ſint Turcarum hoſtes, ſaltem cauſa finium incredibiles motus excirent. Neque hanc ob cauſam electio Parmenſis Ducis Turcæ Imperatori quicquam placeret: proinde veriſimile eſt, operam daturum, & omni ope enixurum, ut omnino excludatur. Stragem etiam, quam adverſus hæreticos in Belgio admodum cruentam edidit, meo quidem judicio ejus cauſam remoraretur: nam Poloni hæretici, qui numero valent, ab eo ſemper abhorrebunt, neque injuſte ſuſpicabuntur, ſi Rex foret, ut ille, etſi adverſantibus regni ſtatutis, ipſos perſequeretur, vel ſaltem commodis publicis & honoribus, qui omnes abſque interventu Senatus per meram unius Regis auctoritatem diſtribuuntur, eos nunquam cohoneſtaret.

Archidux Erneſtus Auſtriacus faventem

tem habiturus eſt in eo Senatu Auſtriacam factionem, quæ ad hæc uſque tempora Principibus illis plurimum addicta eſt. Princeps eſt ſingulari virtute præditus, generoſus, & natura affabilis, demum Polonorum genio moribus reſponſurus videtur: duo tamen illi, niſi me animus fallit, adverſabuntur. Primum quia Germanus eſt; nam miram Poloni cum Germanis antipathiam habent: & quanquam Archidux ille, qui benigniſſimum gerit animum, forte gratiæ plurimum collecturus videtur, tamen dum conſiderabitur, ſub illius umbra & patrocinio in Poloniam Germanos, gentem inviſam, ingreſſuros, & hic auctoritatem habituros, id certe privatim & publice conſultantiū mentes valde turbaret. Alterum impedimentum videtur eſſe, quia cum Polonica Nobilitas nihil potius & optatius habeat, quam antiquæ libertatis ſuæ jura tueri, quæ hactenus illibata ſervaverunt, inprimis caverent, ne vicinum Principem tot viribus & amicitiis validum eligerent, qui Regno frenum injicere queat, quemadmodum ab aliquo Auſtriaco ſibi timere poſſent, & ab ipſo Erneſto, quem facile cupiditas inceſſere poteſt ſupprimendæ Polonicæ libertatis, illudque regnum hæreditarii juris facere, ſicuti in Hungarico

& Bohemico fecerunt , quæ regna nativos Reges non habebant. Et hæc ipſa fortaſſe dubitatio nobiles movit, ut electionem, quam Senatus in Maximilianum Imperatorem fecerat, in interregno Regis Galliæ exploderent. Quod ſi Turca in hujuſmodi Comitiis aliquam habuerit auctoritatem,credibile eſt,eum minime paſſurum , ut Auſtriacorum Principum quiſpiam eligatur, ne Polonorum viribus aggregatis illam Hungariæ partem , quam occupaverunt Turcæ , recuperare, & Othomanicum Imperium laceſſere velit. Quod ſi etiam in eodem ambitu alii ex domo Auſtriaca, ſicuti forte Ferdinandus & Carolus Archiduces, aut Maximilianus & Matthias ejus frater concurrent,Erneſto major ſupererit difficultas. Tranſſylvanus Regulus, ut nepos & hæres Stephani regis, nihil in ea ſucceſſione juris habet: nam tametſi antiqua fuerit conſuetudo, ut filii atque etiam nepotes defunctorum , uſque ad lineæ ſive ſtirpis totius occaſum, in Regnum vocati fuerint,tamen ſpatio ducentorum annorum nunquam nepotes electi fuere , qui non ex ſtirpe regali deſcenderint. &,quanquam Stephanus Rex eximia virtute decoratus, deque toto regno optime meritus fuit,propter egregia facinora, quæ adverſus

verſus ſuos hoſtes peregit : nihilominus, cum Poloni eum magis veriti fuerint ob ipſius potentiam,ac timuerint,quam dilexerint,cum ille in honoribus &commodis publicis parum proceribus ſatisfecerit ; præterquam quod ſuorum bonorum parcus extitit, ſucceſſoribus ſuis tenues opes reliquit. neque Princeps ille alibi ſpem ſuam firmare poteſt, quam in auxiliis cognati ſui Cancellarii, cujus auctoritas ſicuti regnante Stephano cæteros proceres ſupereminebat , ita nunc, quia nobilitatis odium ſubivit ob ſuperbiam ſuam , & quia familiæ Sboroskæ primatem ſupplicio ultimo extinxit,credibile eſt, eum de culmine ſuæ potentiæ dejectum fuiſſe : Tamen cognatum non mediocriter juvabit , quia magni eſt vir ingenii , divitiis affluens, audacia promptus,& ad hæc Turcicis auxiliis,& pecunia, quæ eum non deficiet, nonnihil boni efficere valebit. Verum non uſque adeo valiturus eſſe videtur, ut difficultates objiciendas queat diluere , præſertim nondum adultæ principis ætatis , cum is adhuc adoleſcentulus ſit : quod ſi unquam Regnum illud adulto ac præſtante Rege indiguit , per hæc tempora vel maxime indiget, propter occaſionem, quam Moſchorum civilia bella bene gerendæ reipublicę offerunt.& quanquam

Turca ipſum, tanquam fiduciarium ac vaſallum ſuum, vehementer promoturus videtur, quemadmodum Stephanum ejus patruum promovit, non video, Turcicam opem, præſertim his temporibus, quibus imperii illius vires alio intentæ ſunt, plurimum eidem afferre poſſe adjumenti. Nam Poloni, ut in interregnis imminentibus aſſolet fieri, fines regni validis præſidiis diſpoſitis forte munivetunt, quo ab inſultibus Turcarum & cujuſlibet Principis qui moleſtiam iis inferre tentaret, ſeſe tutos efficiant, ac tueantur. Cardinalis Battoreus ejus patruelis, & nepos ipſe quoque Stephani Regis, minora fortaſſe obſtacula patietur; propterea quod ætate jam adultus eſt, & in ordine Eccleſiaſtico audit honorifice, notus & plurimum dilectus Senatoribus multis, ingenio & virtute pollens, apprime affabilis, & qui naturæ Polonorum ſe adaptabit: nihilominus credibile non eſt, ut natio illa, de patruo ejus Rege haud jucundam ſervans memoriam, & Hungaros immortali odio proſequens, dubitans etiam, ne ipſo electo Cancellarii amplitudo reſurgeret, conſenſura ſit unquam ad quemquam ex Battorea domo eligendum. Princeps Sueciæ etſi adoleſcentulus eſt, non tamen adeo acerbæ eſt ætatis, ut regnum capeſ-

capeſſere,& paucis poſt annis recte gubernare nequeat; multiſque virtutibus, ad eligendum ſe, & ſenatores & nobilitatem poteſt compellere. Nam quia ex materno latere Iajelloniam domum refert,quæ domus ob egregia illorum Regum facinora, & in Rempublicam merita, ſummopere à Nobilibus diligitur, & præſertim ideo, quia Reipublicæ aggregavit maximi momenti regionem, cujuſmodi eſt Lituania: item quia nepos eſt ejus ex cujus autoritate magnam gratiam conſequetur, præterea, quia ſuppetet ei pecunia,cum ex paternis theſauris, tum ab ipſa Regina ad concilianda ſibi nobilium ſtudia: hæc mediusfidius magna ſunt adminicula,unde facili negotio ad regnum promoveri poſſet. Verum ſi ad hæc adjungeretur,ut rex Sueciæ amplificandi magis filii ſui cauſa, Sarmatis offerret (ut eum facturum veriſimile eſt) ſui regni unionem ad Polonicam Rempublicam, ſi filium elegerint, nihil mihi ſupereſt dubitandum,quin ipſe,cæteris omnibus candidatis ſuis ſuperatis, coronam illam obtineret: etenim regnum Polonicum vicini regni acceſſioni mirum in modum lucrifaceret, non ſolum in ſeipſo, ſed etiam propter bona plurima, quæ inde Polonorum emolumento conſequerentur, præſertim in

compeſcendis ſubditis,ac ſpeciatim Dantiſcanis & prætenſis Ducibus Pruſſiæ, aliiſque qui Suecorum ope nixi ſæpenumero defecerunt,& contra proprios dominos reges Poloniæ arma ſumpſerunt: ceſſarent quoque controverſiæ atque prætenſiones jurium,quas Princeps Sueciæ habet in Lituania, tanquam in Statu ad maternam hæreditatem ſpectante: quæ res inter illa duo regna ingentes motus excitare poſſe videtur: portus Narvæ in Livonia ad Polonos rediret, quem portum Sueciæ Rex haud pridem occupavit, dum Stephanus cum Moſcho bella gereret, quamobrem Poloni coacti ſunt portum illum recuperare, acceptamque injuriam ulciſci. Sed quod magis referret, illud eſt, quod junctis duorum regnorum viribus adverſus Moſchum progreſſus fierent feliciores: non enim ignoramus,Moſchoviam modo civilibus diſſenſionibus vehementer agitari: adeo ut ex iis, quæ diximus, non videam,cur Sueciæ princeps, ſi regni ſui unio propoſita fuerit, excludi queat: quandoquidem probabile eſt,oblationem hujuſmodi nihil minus virium habituram, quam Iajellonis magni Ducis Lituaniæ habuerit oblatio: is enim ut Eduigem Poloniæ Reginam in matrimonium obtineret, Ducatum ſuum rei-

publicæ conſociandum propoſuit: quæ propoſitio tantum effecit apud Rempublicam, ut quanquam Heduiges Gulielmo Archiduci Auſtriæ ante promiſſa fuiſſet, jamque ille ad celebrandas nuptias Cracoviam adveniſſet, nihilominus Iajelloni cõceſſa fuerit: cujus propago ſive linea poſtmodum annos ducentos feliciter regnavit. Quod ſi Princeps Sueciæ Catholicam religionem ſectatur, quemadmodum uno ore omnes conſentiunt, profecto neſcirem, quem Reſpublica Chriſtiana Regem ipſo poſſet eligere fructuoſiorem: is enim, debellatis Moſchis, in magnitudine & continuatione Imperii cæteros omnes Europæ Principes longo intervallo poſt ſe relinqueret; quoniam ab ortu ad occaſum totam regionem, quæ inter mare Caſpium & Germaniȩ terminos comprehenditur, poſſideret; ab Auſtro vero ad Septentrionem, à Caucaſo uſque ad ultima Scythici maris littora imperii ſui limites protenderet: quantum vero Turcis terrorem tam magnus Princeps adeo vicinus incuteret, quantumque auxilii feſſis Chriſtianorum rebus adferre poſſet, unuſquiſque ex ſeipſo id animi cogitatione conſequitur.

IOAN-

POLONIÆ DESCRIPTIO.

Rex Poloniæ.

Poloniæ regnum nunquam tam amplum fuit quam nunc eſt, quod Magnus Ducatus Lituaniæ & Livoniæ ei adjuncta ſint: extendit ſe à flumine Notes & Obra, quæ id à Marchia dividunt, & fluvio Odera, qui ipſum à Sileſia diſtinguit, ad Bereſaiam & Boriſthenem uſque, qui ipſum à Moſcovia ſeparant: à mari Balthico ad flumen Nieſter, quod id à Moldavia diſtinguit: & ad montes Carpathios, qui ipſum ab Hungaria ſeparant, uſque. Occupat itaque à finibus Sileſiæ, ad terminos Moſcoviæ uſque, inter Occaſum & Ortum, cxx milliaria Germanica: nec minus ab ultima Livoniæ parte, ad fines Hungariæ uſque. Cum itaque talis ſit ejus forma, ut cum rotunditate participet, multo capacius eſt, quam quiſquam credere poſſet. Multas amplaſque Provincias continet: nempe Poloniam majorem & minorem, Mazoviam, Pruſſiam, Ruſſiam, Volhiniam, Livoniam, Lituaniam. Inter eas Provincias, Polonia, à Polonis inhabitata inventa fuit. Pruſſia, cum parte Po-

te Pomeraniæ, Podolia, Volhinia, Mazovia, Livonia, armis acquiſitæ ſunt. Lituania, cujus erat Samotgithia, & Ruſſiæ pars, patrimoniales familiæ Iagellonicæ fuerunt. Anno enim MCCCLXXX Iagello, tunc Dux Lituaniæ, duxit in uxorem Heduigim Principem, quæ familiæ regalis Poloniæ ultima erat, factuſque fuit Rex tribus conditionibus: una fuit, ut Chriſtianus fieret: altera, ut ſuos ad idem faciendum induceret: tertia, ut ſuam ditionem Poloniæ uniret. Ea conditio noſtris temporibus (cum familia Iagellonica defeciſſet) adimpleta fuit. Cum enim Reges ſe ditione hæreditaria, cujus merum habebant imperium, privare nollent, eamque electioni ſubmittere, diſtulerunt ſemper adimpletionem conventionis, allegantes, proceres & populum Lituaniæ id non paſſuros, ne illa admixtione amitterent gradum & dignitatem. Tandem tamen Lituani, cum ab una parte viderent deficere ſtirpem ſuorum principum, (quæ quod ad maſculos attinet, defecit in Rege Sigiſmundo Auguſto,) & ab altera parte ſibi metuentes à potentia Moſcorum, conſenſerunt ut unirentur. Livonia fuit quondam equitum Teutonicorum, qui in ea ſuum præfectum ſpecialem, qui Magnus Magiſter dicebatur, habebant. Sed cum anno

MDLVIII

MDLVIII à Magno Moſcorum duce, maxima ditionis parte ſpoliati eſſent, confugerunt ad Sigiſmundum regem Poloniæ, qui eos in ſuam tutelam ſuſcepit; ſed Livonia ante liberata non fuit, quam cum anno MDLXXXII Rex Stephanus id fecit. Regni Poloniæ pars plana eſt: exceptis enim aliquibus montibus, qui in minori Polonia viſuntur, & aliquibus potius collibus quam montibus, quibus à Pruſſia diſtinguitur, omne reliquum explicat ſe in latiſſimos campos. Verum quidem eſt, quod in eo regno ſatis multæ ſylvæ ſunt, præcipue in Lituania, quæ iis occupatur. Minor & major Polonia frequentius inhabitantur, quam ulla alia hujus regni provincia. Idem dicendum fere eſt de Ruſſia, Pruſſia & Livonia, quæ propter oportunitatem maris, portuum, & fluminum ibi concurrentium, aliis provinciis, civitatibus & fabricis ornatiores, commerciis quoque & concurſu mercatorum ditiores, ſunt. Cum enim ibi diu dominati ſint equites Teutonici, ædificarunt civitates in morem Germanorum: arces quoque & loca præclara, quę ſe extendunt ad longum littoris maris, amplius quam per octingenta miliaria: habent multos & oportunos portus, dominanturque omni mercaturæ, inter Poloniam & mare Balthicum. Eſt

ea res

ea res magnæ conſequentiæ: fluvius enim Viſtula, qui ortum habet in extremitate Sileſiæ, transfluit totam Poloniam minorem, & partem majoris, Mazoviam & Pruſſiam, conditq; ſe mari Balthico, infra Gedanum, quo conducit per pluſquam cccc miliaria navigationis (quo ſpatio recipit diverſos alios fluvios) bonam partem ſiliginis, frugum, mellis, & ceræ regni. Ab alia parte Duina flumen nobiliſſimum (quod oritur ex lacu Rutenigo auctum aquis, findenſque mediam Livoniam) condit ſe mari ſub Riga, ad quam urbem magnus concurſus eſt. Sunt præterea in Pruſſia & Livonia multi lacus, inter quos unus, qui mare novum dicitur, quia antiquus non eſt, ad centum miliaria in longitudinem extenditur. In Livonia eſt lacus Peibas, plus quam 40 miliaria longus. Ex eo flumina, quæ Pernoviam urbem ad mare, & Narvam, alluunt, fluunt; faciuntque duos portus ſatis celebres: inter dictas civitates ſita eſt Revalia urbs, quæ duabus ſupra dictis civitatibus non cedit. Samogitia aliis provinciis incultior eſt, retinetque plus barbariei. Podolia aliis magis deſerta eſt, non terræ vitio, (copioſiſſima enim eſt omnium rerum, quas fert clima, cui ſubjacet,) ſed culpa Tartarorum, qui eam ſuis excurſioni-

ſionibus adeo infeſtant, ut præ ipſorum metu aut fugiant incolæ, aut abducantur in captivitatem à Tartaris.

Opes.

POloniæ opes conſiſtunt in copia frumenti, frugumque omnis generis, quibus tanta copia abundat, ut anno elapſo, qui fuit MDXC, & anno præſenti, partim ſubvenerit neceſſitati Genuenſium, Thuſciæ & Romæ, partim etiam gentium, quæ viciniores erant: ubi fame, non caritate extrema tantum, laborabatur. Abundat quoque Polonia melle & cera infinita. Cum enim omnes hæ provinciæ ſeptentrionales, Polonia, Lituania. Ruſſia, Moſcovia, à natura vino donatæ non ſint, ejus loco contulit illis mellis quantitatem incredibilem. ex quo hi populi conficiunt inter alia potionem delicatam & ſanam. Apes mellificant partim in ſylvis, ubi arbores aut carie, aut hominum induſtria, excavatas reperiunt; aut in alveariis, quæ ruſtici in campis poſuerunt, aut in terræ puteolis, omnique in loco, ubi vel minimam oportunitatem reperiunt. Abundat quoque Polonia lino & cannabe, gregibus & armentis, equis quoque bonis & mulis. ſylveſtres equi quoq; ſatis frequentes ſunt. Inter ſylveſtria animalia eſt bi-

eſt biſons magna beſtia, equi indomiti, boves colore nigri, qui extra ſylvam, quæ in Nazovia eſt, non vivunt. Theſauri regni conſiſtunt in ſalinis Bacænæ & Veliſcæ, quæ loca in territorio Cracovienſi ſunt. Divitiæ Poloniæ utplurimum inter dominos & nobiles, ſatis bene diviſæ ſunt: nemo enim ex patrimonio adeo dives eſt, ut alios præter modum ſuperet; nec maximi reditus excedunt xxv aureorum millia. Soli Duces Curlandiæ & Regii Montis excedunt mediocritatem. Quamvis enim hi tanquam regni feudatarii Regem ſuperiorem agnoſcant, non ſunt tamen viva membra regni: non veniunt ad comitia regni: non habent ſuffragia in electione Regis, nec partem in regni gubernatione, nec pro dominis naturalibus habentur, ſed pro extraneis, ſicut vere ſunt: Dux Curlandiæ nempe ex familia Ketlerorum, Dux Regii Montis autem ex familia Brandeburgica. Omnis Pruſſia fuit olim Equitum Teutonicorum, qui ibi habebant (ſicut ante diximus) Magnum Magiſtrum ſpecialem: qui cum viribus Polonorum reſiſtere non poſſet, ſubmiſit ſe tanquam feudatarius Regi Caſimiro. Cum deinde Magnus Magiſter Albertus Brandeburgicus Lutheraniſmum amplexus eſſet, factus eſt ex Magno Ma-

 giſtro

giſtro Dux Pruſſiæ, quæ tunc in duas partes fuit diviſa. In regiam nempe, quæ immediate ſub corona permanſit, & Ducalem, quæ tanquam feudum Alberto & ejus ſucceſſoribus relicta eſt. In regia parte ſunt Marieburgum, Torovia, Culma, Varmia, Gedanum: Ducalis partis (quæ reddit cxx aureorum millia annui reditus) caput eſt Regius Mons civitas, quam Germani appellant *Koningsberg*, ubi Dux aulam habet.

Regimen.

POloniæ regimen potius Reipublicæ quam regni eſt, quod nobiles (qui magnam auctoritatem in Comitiis regni obtinent) Regem eligunt, dantq; illi auctoritatem, quam volunt: tamen ipſorum poteſtas major fit. De electione Regis non habent legem, nec ſtatutum aliquod, non regulam aut formam ſcriptam nec traditam. Tantum hoc ſcitur, apud Archiepiſcopum Geſnenſem, interregni tempore ſupremam auctoritatem eſſe: ipſe denuntiat diætas, præſidet in Senatu, proclamat novum Regem; ſicut cum Archiepiſcopo Leopolis, & ſuis ſuffraganeis, qui tredecim, Palatinis, qui 28, Caſtellanis majoribus, qui 30 numero erant, antequam rex Stephanus inſtituiſſet novos Epiſcopos, Palatinos

nos & Caſtellanos in Livonia quam ipſe acquiſiverat, pauci alii interſint Regis electioni. Habent ibi quoq; quandam auctoritatem nuncii terreſtres. (ita appellant quoſdam quaſi agentes circulorum nobilitatis, qui in provinciis habentur.) Comitiorum tempore conveniunt hi in loco Senatui vicino, eligunt ibi duos Mareſcallos, per quos ſignificant Senatui, quid deſiderent, ſed cum auctoritate fere Tribunitia. Crevit enim parvo abhinc tempore eorum auctoritas exiſtimatioq; in tantum, ut auctores, & capita potius, quam miniſtri & participes deliberationum publicarum regni ſint. fuitq; unus, qui exemplo Clodii, renuntiavit dignitati ſenatoriæ, ut fieret nuncius. Hi omnes ſimul, cum novus Rex eligendus eſt, reſtringunt magis magiſque potentiam Regis, nec eam nimis excreſcere ſinunt. Quamvis autem Corona Poloniæ à decreto nobilitatis dependet, non tamen legitur ipſos unquam ſucceſſores regios excluſiſſe, aut præteriiſſe, nec regnum in aliam familiam tranſtuliſſe, excepta una vice, cum Ladiſlaum deponentes (qui tamen poſtea fuit reſtitutus) elegerunt VVenceſlaum Bohemum. Filiarum Regum quoque ſemper ratio habita eſt, ſicut olim Heduigis, quæ Iagelloni ab ipſis collocata fuit, & noſtra ætate, Annæ, quę

Regi Stephano in uxorem data. Sigiſmundo III non parum profuit natum fuiſſe Catharina, Sigiſmundi Auguſti & Annæ ſorore, ut Coronam Poloniæ adipiſceretur. Etſi autem Regis auctoritas ita ab electione dependeat: ejus auctoritas tamen, cum electus eſt, in multis rebus abſoluta eſt. Ipſius muneris eſt convocare diætas, aſſignare tempus & locum, ut ipſi placet: eligit Conſiliarios laicos, nominatq; Epiſcopos, qui deinde manent Conſiliarii. Eſt abſolute patronus redituum Coronæ, & dominus eorum, qui ei immediate ſubſunt, in nobilium ſubditos nullum eſt jus. Eſt abſolutus executor decretorum in diætis factorum: eſt ſupremus judex nobilium, in cauſis criminalibus. Habet in manu omnes modos remunerandi, beneficioque afficiendi, quos ipſi placet. Vt ſinem faciam, tantum poteſt Rex, quantum ipſe dexteritate & prudentia valet. Propter rationes ſupra dictas, vivunt nobiles in Polonia in magna libertate, faciuntque quod ipſis placet. Decreta Regis (ſicut ipſimet dicunt) non durant plus quam tres dies: verſantur cum Rege non tantum tanquam cognati (quod faciunt Franci) ſed ut fratres. Sicut Rex cum plenaria auctoritate, eos, qui immediate ſubſunt, regit: ita & nobiles diſponunt

inde-

independenter de ſuis vaſallis, in quos ſorum unicuique imperium plus quam regium eſt, habentque ipſos fere pro mancipiis. Stabiliendo ſuo imperio, fecerunt Poloniæ Reges rem notatu admodum dignam. Sicut enim Romani ſuas vires amplitudinemque auxerunt, communicando jus Latii & civitatis Romanæ, aliis civitatibus, imo integris provinciis: ita & Reges Poloniæ extenderunt, unierunt, firmaruntque ſuum ſtatum, participes faciendo privilegiorum nobilitati Polonicæ propriorum, provincias armis aut alia via acquiſitas, ipſarumque nobilitatem, Polonicæ nobilitati æqualem faciendo. Rex Ladiſlaus hoc modo aggregavit, imo univit Poloniæ Ruſſiam & Podoliam: Sigiſmundus Auguſtus Lituaniam, Stephanus Livoniam. Æqualitas enim in commoditatibus & honore, reddit animos unitos in neceſſitatibus & periculis.

Vires.

HVjus regni vires, ſicut & aliorum, conſiſtunt in commeatu, pecuniis, peditatu, equitatu, armis & munitionibus. De commeatu diximus ſupra: pecuniis quidem non admodum dives eſt. Excipiendo enim portum Gedanenſem non habet emporium alicujus exiſtima-

tionis. Merces autem, quæ ex portubus Pruſſiæ & Livoniæ evehuntur, non ditant regnum pecunia, imo vix pannis ex ſerico & lana, qui ex Flandria & Anglia: vino, ſaccharo, aromatibus, fructibus, quæ ex Hiſpania & Luſitania advehuntur, ſufficiunt. Eo uſque ab alia parte quoque defertur vinum Malvaticum ſive Creticum, cujus dolium LXX aureis venit. Cum denique regnum mercaturæ addictum non ſit, nec civitates mercimoniis deditæ ſint, nec populi induſtria polleant: Nobilitas autem magnanima ſit, profuſa in expendendo, quæque in victu & veſtitu plus quam in reditu habet, conſumat: cumque condimenta ciborum, aroma, (quorum Poloni plus abſumunt quam ulla natio) vinum, panni è ſerico, & [illegible]ſſima pars laneorum, ipſis ab extraneis adferantur: fieri non poteſt, ut regnum auro & argento dives ſit. Opes enim uniuſcujuſque regni conſiſtunt in eo, ut multæ merces inde evehantur, paucæ inferantur: ut exeuntia pecunias externas eo trahant, illata non efferant. Ea in re conſiſtunt opes regni Neapolitani, & Ducatus Mediolanenſis: illud emittit maximam frugum, vini, olei, ſerici, croci, equorum, fructuum, & aliarum rerum quantitatem, quæ maximam externarum pecuniarum vim eo per-

pertrahunt. Hæc ſuppeditat multis regionibus frumenta, oryzam, pannos, ferramenta, & merces omnis generis, recipitque parum rerum. Si regnum Neapolitanum, & regnum Siciliæ, ita abundarent operis artificioſe factis, ſicut fructibus & bonis, quæ natura largitur, divites ſunt, nulla alia regna eis poſſent comparari. Sed ut ad Poloniam revertamur, ejus reditus non ſunt adeo tenues, ſicut aliqui exiſtimant. Reditus enim regni, qui ex mineris ſalis & argenti percipiuntur, accedunt ad ſexcenta aureorum millia quotannis. Verum quidem eſt, Sigiſmundum Auguſtum, redituum partem oppignoraſſe: Rex quoque Henricus, uno ante fugam menſe, ut ſibi unam nobilitatis partem obligaret, ex reditibus plus quam pro ccc aureorum millibus quoquo anno alienavit. Rex quoque poteſt applicando coronæ bona caduca, quæ reges privatis perſonis concedere ſolent, ſibi magnos reditus parare. Dictorum redituum magnam partem poteſt Rex ſibi ſervare, parcereque ſumptibus. Eos enim faciunt Lituani, quãdo rex cum aula in Lituania degit. idem quoq; fit in maxima Polonię parte. Hoc parvi non facit is, qui perpendet, Scotiæ, Navarrę, Sardinię regnorum reditus non excedere centum aureorum mil-

millia quotannis: nec regna Aragoniæ, quoquo triennio, plus quam c millia aureorum pendere. Reditus Regis Angliæ, antequam uſurpavit bona Eccleſiaſticorum, non excedebant ſexcenta aureorum millia quotannis. Rex Poloniæ multo plus redituum haberet, ſi erga ſuos Palatinos & Caſtellanos tanta liberalitate non uteretur. Concedit enim eis utplurimum duas partes tertias, & fere ſemper omnes reditus, quos in ipſorum gubernationibus habet. Sed in neceſſitatibus bellicis, & arduis expeditionibus, (facto decreto in Comitiis regni,) gravat Rex populum magnis impoſitionibus aut tributis, quæ ex territoriis percipiuntur, aut ex vectigali cerviſiæ; adſcenduntque ea tributa ad talem pecuniarum ſummam, ut ea Rex Stephanus ſuſtinuerit onera graviſſimi triennalis belli, quod cum Magno Moſcorum Duce geſſit. Sed illud maximum eſt, quod nobiles propriis expenſis, pro defenſione regni, Regi inſervire obligati ſunt. Serviunt hi equis, armis inſtructi partim ſicut noſtri cataphracti equites, partim aliquanto levioribus, partim ſicut Tartari. Dicuntur hi, Coſacchi. Horum ars eſt furari, depopulari, omnia vaſtare, peſſundareq;. Eunt in bella pompoſe, ornati ſagis & veſtibus, quæ auro, argento, mil-

milleque variis coloribus diſcriminantur. Ornant ſe quoque pennis & alis aquilarum, exuviis leopardorum & urſorum, vexillis labariſque multis variiſque. Hæc aliaque ornamenta ipſos ſuis viſendos hoſtibus terribiles faciunt, ſuoſque animos ad feritatem ferociamque incitare poſſunt. Ipſorum equi mediocres ſunt, ſed agiles, & Germanicis longe animoſiores. Æſtimatur, Poloniam neceſſitate exigente centum, Lituaniam LXX equitum millia colligere poſſe; ſed tantum circiter centum equitum millia educi poſſe exiſtimant aliqui. Verum quidem eſt, quod equi Lituanici Polonicis longe inferiores ſunt. Fidunt Poloni tantum magno numero ſui equitatus, ut non verentes illius hoſtis vires, parum de munitionibus extruendis ſolliciti ſint; ſuumque exercitum in locis apertis, adverſus hoſtes, pro patria, liberis, libertate, omnibuſque ſuis bonis, magno animo pugnaturum credunt. Hoſtibus ſe nunquam, etiam in quacunque fortuna, terga obvertere profitentur. Sigiſmundus Auguſtus tentavit, ut in Comitiis regni deliberaretur de munienda Cracovia, propter Cæſaris vicinitatem: ſed Polonis id perſuadere nunquam potuit, tum quod nolint Regibus medio præſidiorum commoditatem dare, invadendi

merum imperium, & abſolutam dominationem: tum quod dicunt, ſua pectora defendendo regno ſufficere. Pedeſtrem militiam non habent, quod omnis regni populus diviſus ſit in mercatores & artifices, (qui oppida incolunt,) ruſticos & villicos, qui ruri in tali ſubjectione (ſicut dictum eſt) degunt. Sunt itaque arma in manibus nobilium tantum, qui pedibus non militant. In neceſſitate peditibus Germanicis & Hungaricis uſi ſunt; habuitque rex Stephanus in expeditione Livonica, ſub ſignis, plus minus XVI peditum Germanorum & Hungarorum millia. Ducendis tormentis bellicis, cunicularioriorum & foſſorum loco utuntur Tartaris & ſuis ruſticis. Quod ad tormenta bellica eorumque apparatum ſpectat, regnum iis ſatis inſtructum eſt: tum quod nobiles ſatis illorum in ſuis arcibus habent, tum quod illorum indigentiam pati non poſſit, ob Germaniæ vicinitatem, quæ metallorum ferax eſt, habetq; multos magiſtros fundendi tractandique tormenta, atque omne quod ad uſum armorum facit. Tanto quoque tormentis inſtructior eſt Rex Poloniæ, quanto minorem arcium numerum habet. Sunt tamen non parvæ conſiderationis arces Leopolis & Camenetzy in Ruſſia, arx Cracovienſis in minori Polonia,

nia,Poloſcenſis in finibus Moſcoviæ,Mariemburgi & aliquorum oppidorum in Pruſſia & in Livonia, quæ oppida non à Polonis,ſed ab Equitibus Teutonicis(qui earum domini erant) munita ſunt. Poloniæ vires, quas commemoravimus, ſunt & numero & natura tales,ut pauca Europæ regna eas æquent,non ſuperent. Vna res eis deeſt, nempe agilitas. Sed ad firmitatem cujuſcunque ſtatus quatuor res requiruntur,nempe ut vires ſibi propriæ, numeroſæ, validæ & agiles ſint: propriæ,quia ægre ei credi poteſt, quod alterius eſt: numeroſæ, ut in rebus adverſis & incommodis ſemper aliquæ ſuperſint: validæ, quia numerus abſque fortitudine parum juvat, imo potius moleſtiam quam auxilium adfert: agiles, ut facile colligi poſſint,impelliq; quo exigit neceſſitas. Polonis deeſt dictarum quatuor qualitatum ultima, agilitas nempe, quæ à rebus duabus dependet: una eſt Principis auctoritas: altera, prompta pecunia. Rex poteſtatem non habet in Polonia aliquid decernendi,bellum indicendi, onera ad conflandum pecuniam imponendi, abſque conſenſu Comitiorum. Sed Comitia & conſultationes,quibus multos intereſſe opus eſt, ſimiles ſunt machinis ex pluribus partibus multiſque inſtrumentis conſtantibus,

tibus,quæ progreſſum alicujus momenti non niſi longo tempore faciunt. Sed in rebus bellicis ſunt ii Principes expeditiſſimi, qui ſoli imperare poſſunt, qui pecunias in promptu habent: alioquin in indicendis diſponendiſque Comitiis, ut decreta propoſitioni reſpondeant, deinde exequendo, colligendoque pecunias, tanti temporis jactura fit, ut ad expeditionem parum ſuperſit, fugiatque occaſio. Barones & nobiles Poloni tam magnos ſumptus faciunt inviſendo comitia, hærentes degenteſq; in iis, ut ad bellum vires non ſuperſint. Fieri poſſet, ut ad defenſionem ſtatus promptior expeditiorque reſolutio inveniretur, quod imminens periculum omnibus pavorem incutiat: ſed ad aliquid acquirendum credo ibi futuram magnam tarditatem. Spes enim boni non adeo afficit, quam timor mali. Vidimus tamen Moſcum abſtuliſſe Sigiſmundo Auguſto ſtatum Poloſcenſem & Smoloczenſem, nec hic tamen perſenſit, aut vindicavit, ſicut tanto Regi regnoque conveniebat. Idem Moſcus abſque obſtaculo invaſit Livoniam, quæ ſe ſub umbra & protectione Sigiſmundi Auguſti contulerat. Tempore quoq; Henrici Andegavenſis Regis Poloniæ. Iohãnes Moldaviç princeps (qui magno animo & claris victoriis per aliquod tem-

tempus bella adverſus Turcas geſſit) à Polonis præter facta fœderis, inter ipſum & Sigiſmundum Auguſtum, deſertus fuit. Dicamus tamen, vires Poloniæ per ſe numeroſas, independentes & validas, tantum agilitatis & promptitudinis habituras, quantum in Rege valoris, roboris & efficaciæ erit. Ejus rei fidem fecit Stephanus Battoreus: cujus tempore Polonia non ſolum conſervavit ſibi nomen & exiſtimationem regni, quod ſe à viribus extraneis defendere queat: ſed quod etiam magni momenti acquiſitiones de potentibus hoſtibus facere & referre valeat. Cum autem dixerimus de agilitate, quę res viribus cujuſcunq; ſtatus neceſſaria eſt, non præter inſtitutum erit, cauſas ipſius agilitatis adjungere. Pręcipuę ſunt (ſicut diximus) auctoritas Principis, qui motũ dat, & vis pecuniæ, quę ipſum conſervat. Vidimus enim potentiſſimos exercitus propter tarditatem, torporemq; capitis, tempus inutiliter triviſſe: & præclariſſimas victorias nullum fructum peperiſſe aut feciſſe, propter pecuniarum penuriam, ſine qua moveri non potuere milites. Multum quoque ad rem facit militum qualitas. Negari enim non poteſt, peditem Germanum & Bohemum ab agilitate laudari non poſſe; quæ laus abſque dubio, Italo, Hiſpano & Franco debe-

debetur, non ob id ſolum, quod corpore melius conſtituti ſint, ſed quod plus eſt, quod in bello minori contéti ſint. quamvis enim vinum non habeant, non pavent: nec cadunt animis, ſi carnes deſint; & quomodocunq; cedat, ferunt diutius inopiam & incommoditates. Levis equitatus magis agilis eſt, quam cataphracti; & tractatio ſclopetorum, quam lancearũ. Id conſiderantes Franci, ultimis bellis lancearum uſum, in quibus ipſorum militaris gloria conſiſtebat, reliquerũnt, utunturq; earum vice ſclopetis, ſicut equites Germani enſe. Sed quo judicio id fecerint, excutiet alius. hic non dico, equitem levioris armaturæ, in rebus bellicis abſo lute cataphracto eſſe meliorem; id dico, quod expeditior promptiorque ſit. Multum quoque facit genus equorum: Flandrici multum ſuperant Friſicos & Germanicos: nec minus præſtant Hungarici Polonicis, Aſturco Turcicus. Barbarici prædictis ſunt velociores. Inter utroſque ſunt equi Neapolitani, qui vernacule *corſieri* appellantur. Quamvis enim Aſturconi velocitate pares non ſunt, perdurãt in labore, feruntq; melius pondus armorum, nec tardi ſunt. Vt quod verum eſt dicatur: Experientia docet, equitatum Germanicum propter eorum tarditatem aptum non eſſe ad inſequendum fugientes,

tes, nec ad effugiendum hoſtes. Si enim Valacchici, Hungarici, Polonici, Turcici, Mauri, Barbarici equites, Germanicos fuderunt, non poſſunt effugere: ſi illi autem rupti ſunt, non poſſunt equi Germanici illos inſequi. Falconum enim inſtar aggrediũtur hoſtes, rurſuſq; avolant longiſſime. In expeditionibus maritimis, agilitate parum valent naves: deſtitutæ enim vento moveri non poſſunt, neque verti: aliquantulum, ſed parum amplius faciunt magnæ actuariæ naves, ſed velocitate præſtant maxime triremes, quas galeres vocant. Vidimus itaque, claſſes Chriſtianorum, quorũ vires in navibus ſitæ ſunt, bonam æſtatis partem, temporiſq; expeditioni cõmodi, in progrediendo triviſſe. Turcicas auté claſſes cito inſtitutũ curſum effeciſſe. Nulla autem res Turcis in ſua agilitate plus cõmodi contranos adfert, quam ipſorũ parſimonia, & noſtra ingluvies. Vinũ enim, ſimileſq; delitię, ſunt noſtris exercitibus tanto impedimento, quanto Turcis commeatus ſimul. Mirũ itaq; non eſt, quod ipſi in expeditiones eant, quam optime inſtructi tormentis, globis, pulvere ſulphureo, & commeatu: (iis enim rebus currus terra, triremes mari onerant:) non vino, pullis, rebuſq; non neceſſariis. Eũt deniq; in bella ut pugnẽt, non ut crapulæ indulgeant.

EX ALSTEDII
CHRONOLOGIA
DE REGNO POLONIAE.

QVinque dynaſtiæ hîc recitantur. Prima eſt ante tempora Piaſti, quæ ad certos annos redigi non poteſt. Secunda eſt ducum Piaſtadarum, anno Chr. 806, quo Piaſtus ex ruſtico factus eſt dux Polonorum. Tertia eſt regum Piaſtadarum anno 1000, quo Boleſlaus filius Mieciſlai, primi Ducis Chriſtiani in Polonia, creatus eſt rex ab Ottone III Imperatore. Quarta eſt regum Iagellonidarum, qui ſic dicuntur à Iagellone Lituano, qui baptizatus eſt anno Chriſti 1368, & Vladiſlai IV nomen accepit. Quinta eſt regum exterorum, puta Hungarorum, Gallorum & Suecorum, inde ab anno Chriſti 1571, quo moritur Auguſtus, ultimus Iagelloniæ ſtirpis maſculæ. Succeſſit ipſi Henricus rex Galliæ: & huic Stephanus Bathori Transſylvanus anno 1576: & huic Sigiſmundus III rex Sueciæ anno 1587.

SERIES

Series ac Ordo Principum ac Regum Poloniae.

Anni Nati Chriſti.	*Principes.*	*Anni Regiminis.*
550	Lechus Primus.	
	Duodecim Palatini.	
700	Cracus.	
	Lechus Secundus.	
750	Venda.	
	Duodecim Palatini.	
760	Præmiſlus ſive LeſcusPrimus.	
804	Leſcus Secundus.	
810	Leſcus Tertius.	
815	Popielus Primus.	
830	Popielus Secundus.	
842	Piaſtus regnavit	19
861	Ziemonitus	32
892	Leſcus Quartus	21
913	Ziemomiſlus	51
964	Mieciſlaus primus princeps Chriſtianus.	35
	Reges.	
999	Boleſlaus Primus cognomine Chrobri	25
1025	Meciſlaus	9
1041	Caſmirus Primus	17
1059	Boleſlaus ſecundus Audax	22

Anni nati Chriſt.	*Principes.*	*Anni Regiminis.*
1082	Vladiſlalaus Primus cognomine Hermannus.	20
1103	Boleſlaus Tertius Crivouſtus	36
1140	Vladiſlaus Secundus	6
1146	Boleſlaus Quartus Criſpus	27
1174	Mieciſlaus Senex.	4
1178	Caſimirus Secundus	16
1195	Leſcus Albus cum matre Helena	4
1199	Mieciſlaus Senex iterum } Leſcus Albus cum matre } *turba per biennium.*	
1202	Meciſlaus Senex tertium. Eodem anno moritur.	
1203	Vladiſlaus Laſconogus	3
1206	Leſcus Albus tertium	20
1226	Boleſlaus IV Pudicus	53
1279	Leſcus Niger.	10

Reges.

1295	Præmiſlus Menſes 7 aut 8.	
1296	Vladiſlaus Locticus	4
1300	Venceſlaus Bohemus	5
1305	Vladiſlaus Locticus iterum	28
1333	Caſimirus Secundus cognomine Magnus	37
1370	Ludovicus Vngarus	12

1386

an. Chr.		*an. Reg.*
1386	Vladiſlaus Iagello Lituanus 48, menſes 3.	
1434	Vladiſlaus Tertius	10
1447	Caſmirus Tertius	45
1492	Ioannes Albertus	9
1501	Alexander	5
1507	Sigiſmundus Primus	41
1548	Sigiſmundus Auguſtus	25
1574	Henricus Valeſius Gallus	
1576	Stephanus Batoreus Tranſſylvanus	10
1587	Sigiſmundus Tertius qui nunc regnat.	

FINIS.

A

ABrogandorum honorum ratio. 170.171
Academia. 80.81
Alberti Marchionis Brandenburgenſis, Ordinis Teutonici magiſtri tempore geſta quædam præcipua. 330
Albus, lacus & natura ejus. 67
Alce, & ejus natura. 71
Ambra. 57
Animarum immortalitas à Sauromatarum fide non aliena. 250
Aqua. 58
Aqua tepida. 70
Arces ſolitariæ. 86.87
Archiepiſcopi. 6. & 133.134. *munia.* 140 253
Armenorum religio. 115
Aves. 75

B

BAlneæ. 88.89
Barones. 4
Belli ratio 201
Belli conſtitutiones in Lituaniæ ducatu. 282.
Biſontis, feræ, ſtupenda hiſtoria. 71.73
Bolgari 243
Bulgaria. 243
Burggrabii. 157

Cam-

C

CAmpiductor. 145.146.255
Cancellarii. 143.254.255
Capitaneus, ſeu præfectus arcis 152. alii 257.
Captorum in bello ratio. 203
Carbunculus. 56
Caſtellani. 9.133.134. 135. 136.munia. 141.254
Caſtrorum natura. 72
Comites. 103
Comitiorum ratio. 194. Eccleſiaſticorum. 200.
Commercia. 119
Convivia. 97.98
Coturnicum Polonicarum natura. 76
Crinice, locus, & natura ejus. 67
Cromeri familia & gentilitia. 107
Cruciferi notati. 219
Crucigerorum initium unde. 299.314.315 magiſtrorum triginta quatuor hiſtoria. 316. 317. &c. inter eos Fratres Enſiferi. 349
Cultus corporis. 89.99
Curiales qui. 254
Cymbrorum hiſtoria. 266.267
Cypſelorum & hirundinum mirabilis natura. 76

D

Diaceſes 6
Duces. 103
Duces exercitus. 145.255
Duces ante Reges fuere. 122. *eorum poteſtas.* 123

E

Eccleſiaſtica munia. 165
Eccleſiaſticorum immunitates. 174
Eccleſiaſticus ordo. 116.117
Electrum. 57
Eligendorum magiſtratuum & præpoſitorum ratio. 167.168
Enſiferi fratres. 349
Epiſcopi. 7.133.134. *munia.* 140.253
Equeſtris ordo. 4.100
Equitum apud Sauromatas ſumma dignitas. 250
Europæ nomen. 227 *fines.* 228. *conditio. ib. latitudo & longitudo.* 228.229
Exercitus. 251.252

F

Familia. 104.105.106
Feræ animantes. 70
Fluvii. 58
Fons peſtilentis natura. 70
Forma hominum quæ & qualis. 90.91
Frigus hyemale. 53

Fruges.

Fruges. 53.54.55
Fugere in bello cui genti inſolens. 249.250

G

GEpidi antiquitus, qui nunc Lituani 270.
Glacies æſtiva. 56
Græca religio. 115

H

HAbitandi conſuetudo Polonorum. 79.87.
Hæretici in Polonia qui. 113.114
Hirundinum Polonicarum mirabilis natura. 76
Honorum mandandorum ratio. 167.168
Hypocauſta. 88

I

IApheti hiſtoria. 234.236
Idololatriæ hiſtoria. 275.276
Ingenia hominum. 91
Inſulæ. 80.85.86
Iudæorum Iudicia ad quem pertineant. 9
Iudiciorum ratio. 175. *nobilitatis.* 187. *plebis.* 189
Iumenta. 75

L

LAcus. 65
Lacus peſtilentis natura. 70

Lapides. 57
*Legatorum & nuntiorum ratio.*196.&c. 256.
Leges ſcripta. 132
Lingua Latina quam Poloniis uſitata. 78. 258.
Lingua Latina & Rutenica in cancellariis ſola uſitata. 255
*Lituania deſcriptio.*278.279. 288. *Ducatus.* 288
Lituani. 281.285
Lituanorum gentis deductio. 266
Lituanorum frumentorum acervi. 287. *reconditoria.* ib.
Livones. 281
Livonia deſcriptio. 344. & *provinciarum.* 351
Livonia deſcriptionis continuatio. 363
Lutheraniſmus notatus. 81. 113. 114. 366.369.372.*in Saxone.*430.
Lutherus notatus. 213

M

M*Agiſtratus.*vide,*Officiales regni.*145. 146.255.256
Magiſtratuum creandorum ratio. 167. *Plebeiorum.* 171
Marchiones regi feudatarii. 4
Mareſchalci regni. 142.254
Mariani, id eſt, Crucigeri. 299
Moſcovitarum frumentorum acervi 287

ſemi-

ſeminandi mos. 285.
Metalla. 55
Milites olim, qui nunc equites. 100
Militia. 97
Miniſteria viliora. 163
Mirabilia Poloniæ. 56.57.58.63.67.70.76.
Monaſteria. 87
Montes. 52
Mores hominum. 91.97
Moſchovitarum reconditoria frumentorum. 287

N

NArvæ fluvii natura. 63
Noæ hiſtoria. 234
Nobiles 4.5.261. eorum ſervitia quæ, qualia, quanta. 263
Nobilitas. 100. ejus ſtudia. 107.108.109.110.
Notarius theſauri regii. 158. caſtrenſis. ib.
Nummaria res. 118
Nuntiorum & legatorum ratio, 196. &c. 256.

O

OFficia curiæ. 158
Officiales. 15. &c. 22. &c. 27. &c. 30. &c. 32. &c. 137. 145. 146. 255. 256.257. eorum officium. 257. inter officiales qui non cenſeantur. 161.

Ordinis Teutonici Crucigeri unde. 299. 314.315. magiſtrorum trigintaquatuor hiſtoria. 316.317. & c fratres Enſiferi. 349.

P

PAgi. 87
Palatini 8. 133.135. eorum munera. 140.254.
Pauperiani, id eſt, Crucigeri. 299
Pecora. 75
Peditatus ratio. 204. 205
Piſces. 68
Piſcinæ arte manuque facta. 77
Plebs. 111.166
Polona gens. 36.37
Polonia provinciæ. 3. diviſio. 6.44. & c. fines 38. 41. 43. 45. 46. incolæ qui qualeſve. 258. 259. Interregnum. 378.432. nomen. 37.38. opes. 448. regimen. 450. vires. 453. regio qualis. 51.257. regnum 251. Rex. 3.34.249. 251.252.444. ſitus. 36.41.
Polonorum etymon. 243. frumentorum acervi 287. in pronuntiatione Latinæ linguæ gratia. 259. linguæ. 77. 255. 259. ſeminandi mos. 285
Pomeraniæ quædam deſcriptio. 313.340. 341.
Populi genera & ordines. 100
Potus. 90

Præ-

Præfecturarum diſtinctio. 154. *reditus.* 156
*Præfectus arcis.*152. *generalis.* 255. *alii* 256
Princeps regifeudatarius. 3
Principes primum Poloniæ. 122. *eorum poteſtas.* 123
Procurator magnus. 153
Provocatio ad certamen. 186.187
Provocationum judicia. 183.184. 185. *in plebe.* 190.191.192
Truſſia Reſpublica. 208. *deſcriptio.* 297 *ducatus duodecim.* 302. *deſcriptionis continuatio.* 337
Pruſſorum diſtinctio in ordines. 213
Prutenorum antiquorum priſca religio. 300.*barbaries.* 314
Prutenorum frumentorum acervi. 287. *ſeminandi mos.* 285

R

Reditus magiſtratuum. 172.173.*epiſcoporum.*173.*prælatorum.* 174
Regina comitatus 163.169.
Regum poteſtas. 124.*creatio.*125.126.*officium.*128.*vectigalia.* 126. 127.128. 129.130.131. *comitatus.*161.162.163
Rex primus Poloniæ. 122
Religio. 113.115
Rivus Scepuſii mirabilis naturæ. 70
Roſſani, Roxolani, Ruſſi. 241.246

Ruſsiæ albæ mores quidam. 282
Ruteni, Roxolani. 241. 246
Rutenorum alborum frumenti recondito-ria. 287
Rutenorum nigrorum frumentorum acer-vi. 287
Rutenorum ſeminandi mos. 285. *nigro-rum. ibidem.*

S

SAles. 55. 56
Salinatores. 157
Samogitæ. 281
Samogitiæ ducatus. 273
Sarmatarum gens belliccoſiſsima. 247. *il-lius mores & inſtituta.* 249. 250.
Sarmatiæ varia idiomata. 243. 244. 246
Sarmatiæ univerſæ ſeminandi mos. 285
Sauromatiæ Europææ ſitus. 227. 229. *na-tiones.* 229. 245. *fluvii.* 230. *regnum.* 232. *fines.* 233. *nomen.* 233. 236.
Sauromaticæ gentis deductio. 233. 235. 236. 237. *hiſtoria.* 244. 245.
Scriba theſauri regii. 158. *caſtrenſis. ibid.*
Senatus. 133. 252. *&c. coronatio.* 139.
Signa gentilitia. 103. 105. 106.
Sileſiorum frumentorum acervi. 287
Slavonicæ gentis deductio. 233. 235. 236. 237. *hiſtoria.* 244. 245. *nationes* 245. 246. *idiomata.* 243. 244. 246.

Sporti, Sauromatæ. 243
Studia hominum. 92.93.&c.
Succinum. 57
Sylva 53
Synodi Eccleſiaſticæ. 200

T

TArtarorum religio. 116
Teloniorum quæſtores. 158
Tenuta & tenutarii. 156
Terreſtres magiſtratus. 146
Theſaurarius. 145
Tributa pro peditatu. 205.206
Tributorum exactores. 158
Tuiſconis hiſtoria. 235
Typographiæ. 95

V

VAndalitæ, Sarmati. 239. *eorum hiſtoria* 239.240
Venedes, Wenden, id eſt, Vandalitæ. 241. *eorum hiſtoria.* *ibid.*
Veſtes. 89.99
Victus. 89
Vitriolus. 57
Vlmigavia, id eſt, Pruſſia. 297
Volgari ex Vandalis oriundi. 241.242
Volhinii ex Vandalis oriundi. 241.242.
Vrbes. 79
Vrſorum captura. 74
Wen-

VV

WEnden, Vandalita 241. eorum hiſtoria. ibid.
Wolgaria, Bulgaria. 243
Wolinia à Volhiniis ſic dicta. 243

Z

ZVpparii. 157.158

FINIS.

Illuſtrium & Præpotentium D.D. Ordinum fœderatarum Belgiæ provinciarum decreto cautum eſt *Bonaventuræ* & *Abrahamo Elzeviriis*, Academiæ Leydenſis typographis, Ne quis præter illorum aut hæredum voluntatem toto decennio proximo, his in regionibus excudat, aut alibi extra provincias excuſum inferat vendatve, librum hunc, cui titulus, *Reſpublica ſive Status Regni Poloniæ, Pruſſiæ, Lituaniæ, Livoniæ*, &c. Quodſi quis contempta auctoritate, directe vel indirecte, præſumpſerit, librum hunc; totum, vel partem ejus, hoc ſive alio modo, extra dictum temporis intervallum typis mandare, vel impreſſum alibi in has oras inferre & vendere; confiſcatione exemplarium, mulctaque inſuper ſexcentorum florenorum, damnas eſto; uti latius patet in ipſo privilegio, dato Hagæ in conventu D. D. Ordinum Generalium, XV Maii, MDCXXVI.

G.V. HERTEVELT Vt.

Ad mandatum Præpotentum D.D. Ordinum General. ſſ.

I. van GOCH.

9A 932930